

Disputatio Juridica
De
JUDICIIS
IN GENERE,

409
24
1831 6

Quam
Deo Trinuno Assistente,
*Consentiente Magnifico atq; Amplissimo, in celeberrimâ ad
Albim Academiâ, Jctorum ordine*

SUB PRÆSIDIO,
Amplissimi, Consultiss. & Excellentissimi
VIRI

DN. HENNINGI Grossen/ J.U.D.
& Prof. Publ. Curia Electoralis & Facultatis Juridicæ Wit-
tebergensis meritissimi, Dn. Præceptoris, Fautoris ac
Promotoris sui, debitâ animi observantia

et atatêm colendi,
Publico examini subjicit,
LUDOLPHUS Evers Hildesheimensis.
Ad diem Junij in Auditorio Jctorum

Ammianus libr. 30.
Judicia cum rectè procedunt delubra sunt æquitatis;
cum depravantur, foveæ fallaces.

WITTEBERGÆ,
Typis GEORGII MÜLLERI.
ANNO clc lcc XXXI.





VIRIS

*Amplissimis, Clarissimis, Consultissimis
& Excellentissimis,*

Dn. CHRISTIANO Regeln/ J. U. D.
eminentissimo & inclytæ Reipubl. Hildelienſis
Syndico gravissimo

Dn. PETRO SYRINGIO, J. U. D.
celeberrimo & Practico ibidem excellentiſs.

Dnn. Patronis, Promotoribus ac Fautoribus
suis magnis singulariterq; suspiciendis.

UT ET

ſpectatiſſimo ac Prudentiſſimo Viro

Dn. VALENTINO Evers/ Equitum

Magistro, apud Hildesheimenses, strenuo & Senatori
ibidem primario, Dn. Parenti suo, nullo non

honoris & filialis amoris cultu æternum

prosequendo

Hæc, laborum suorum Academico-Le-
galium, primitias

Debitæ gratitudinis iugisq; observantiæ causâ

L. M. Q.

ſubmiſſè offert & inſcribit

Ludolphus Evers

Aut. & R.



470

THESIS I.

Rectè & sapienter Catullus inquit:

Turpe est difficiles habere nugas

Et stultus labor ineptiarum.

quod prudentissimum Poetæ effatum in memoriam nobis, hic in vestibulo statim, revocantes pauloq; altius perpendentes, dum animus est, ingenii excercendi ergò, in disputandi arenam descendere, merito longèq; rectius, opinor, fecerimus, si posthabitis impræsentiarum materiis, quæ licet ingenii subtilioris redoleant acumen, tamen ut Justinianus noster, non uno in loco loquitur, ab usû communi penitus recesserunt, talem sub disputationis incudem vocemus, quæ in ipsis rerum obtineat argumentis, ne, dum in illis anxie laboramus, sacratissimi nostri Imperatoris virgulam censoriam incurramus, quando in Nov. 21. vetera curiosius velle perquirere & ad præterita tempora revocare, confusionis esse, prudenter judicat. Proinde ut tam gravem Imperatoriam censuram subterfugere possimus, proposito nostro convenientissimam præsentem utilem & cottidianam (quæ plenius attingenda, secundum J. C. tum Paulum in l. legavi 25. ff. de liber. legat) de Judiciis materiam, ad quam omnes juris nostri partes, tanquam ad scopum, collineant & referuntur, selegimus eidemq; operam nostram addiximus.

II. De horum judiciorum origine antiquissimâ, auctoritate augustâ simul ac utilitate necessitateq; permagna pluribus hic præfari haud magnoperè nobis laborandum putamus, præterquam enim quod hæc omnia simul hic concurrant & tanta esse nemo non recti judicii videat, ut ea propter verborum lenociniis indigeant arg. l. 1. ff. de Rest. in integr. facit tamen quod in hoc argumenti genere, dudum ante nos, aliorum summorum & de Republ. non nisi benè meritorum.

A 2

viro

virorum, Marantæ scil. Rittershusii & Mureti (ut innumeros alios taceamus) occupata fuerit industria, quorum ille, *in speculo suo aur. part. 3. per tot.* Hi verò, integris aliquot orationibus, id ipsum fusissimè profecuti sunt, quibus disertissimis viris, ne actum planè agamus, ultrò fasces submittimus.

III. Quin potius, omissis in præsentia panegyricis Judiciorum laudationibus, recto pede ad institutum perrecturi arcemq; ipsius, ut dici solet, causæ invasuri, dissertationem hanc, sine ulteriore morâ & præloquio, secundum receptum hætenus in scholis morem, à Definitione & Divisionibus exordiemur, transeundo postea ad cætera materiæ huic affinia & communiter accidentia. Cum verò, benè & competenter omnia gerantur, monente religiosiss. nostro Imperatore in *Nov. 6. pr. si rei principium fiat decens & amabile Deo, & difficile sit, ut bono peragantur exitu; quæ malo sunt inchoata principio can. principatus 25. c. 1. qu. ideo precamur D. T. O. M. ut propositum fortunare & ratum esse velit.*

IV. Et quia secundum Ciceron. *lib. 1. offic. monitum, cuiusq; rei tractatio à Definitione originem trahere debet, hæc verò ex Logicorum præscripto, non una, sed duplex sit, ideoq; ut ambobus sua constet autoritas, tam Ciceronem quàm hos secuti, à definitione ista nominis disquisitionem nostram auspiciamus.* Quemadmodum enim in cæteris disciplinis rerum quidem potior, verborum autem prior solet esse interpretatio (vocis quippe usu cognito, sæpè in ipsius rei perceptionem provehimur ut ex Platone & Aristotele monuit acutissimus Scaliger *exerc. 1.*) ita quoque in usu juris nostri frequenter & perpetuò ferè hoc observare licet, *arg. l. 1. ff. de reb. credit. & arg. l. 1. ff. de Just. Et Jur.*

V. Tralatitium vero est absolvi Definitionem hanc Nominalem in reddenda 1. Etymologia, 2. Homonymia & 3. deniq; Synonymia, de unaquâq; harum singillatim ut videamus, erit opinor, operæ pretium.

VI. Notationem ergo vocis Judicii quod attinet, à jure & dicendo, cum Varron. *lib. 5. de ling. latin. p. 1. Cassiodor.*

II. VARIAR.

471
II. *variar.* 9. Isidor. *in c. forus X. de V. S.* dictum putamus, quasi Jurisdictioni vel Juridicium Cassiod. *d. l. quemadmodum* & Aristoteli *δικαστής* dicitur quasi *δικαστής*, & *δικαίον* quasi *δικαίον*, ὅτι *δικαίον* ἴσθι. Unde ut justum ipsum à se ipso dissentire non potest, ita neq; judex, neq; judicium totum, quæq; in eo dicuntur vel aguntur, à jure dissentire debent *arg. d. c. forus, ibi, non est ergo* Extra de V. S. Mejerus *in colleg. Argentorat. ff. fororum lib. 5. tit. 1. th. 3.*

VII. Pergimus ad liberandum hoc vocabulum, ab Homonymia, ne error, cujus genitrix semper æquivocatio dicitur, exinde oriatur. Variæ autem sunt ejusdem in jure nostro acceptiones. Sæpè enim Judicium significat idem, quod *μεγαλήνοια*; vulgò vocant discretionem mentis, ut *in §. præterea Inst. quib. perm. test. fac. l. 48 ff. de R. J.* aliquando sumitur pro controversia ut cum dicimus, judicium super hæreditate pendere *l. 1. §. ff. ad S. C. t. Trebell.* Interdum ponitur pro jurisdictione, Ulpian. *in l. 2. §. ult. ff. de judic.* Interdum denotat forum, id est locum judicii, ut *c. 10. forus X. de Verb. sign.* Frequenter quoq; *μετρονυμικῶς* usurpatur pro actione, sic dicimus, judicium pro socio, judicium communi dividundo & cætera duplicia judicialia *l. 1. & 2. cum seqq. ff. comm. divid. c. 1. §. eum quoq; ff. de edend.* Nobis tandem hic est, totus jurisdictionis actus seu processus, dum negotium discutitur à citatione usq; ad executionem, partem judicii postremam Cujac. *in parat. ff. & ad rubr. X. de jud.* Et hæc de variis acceptionibus verbi judicii, quibus adde Accursium *ad d. §. præterea Inst. quib. perm. test. fac.* Marant. *in prax. aur. part. 1. per tot. & novissimè Cunrad. Rittershus. in exposit. methodic. Novell. part. 9. c. 3.* qui plenâ, quod dici solet, manu congeffit varia hujus vocabuli significata, non solum ex jure nostro, sed etiam è sacris literis & aliis bonæ notæ auctoribus.

VIII. Synonyma sunt, Conventio judiciaria, *auth. litigiosa C. de litigiosis Lis, l. liter. l. ult. C. de lit. cont. l. litis 36. ubi Góddæus de V. S. Deuter. c. 17. 4. 9. 10. Negotium, Exod. c. 18. c. 16.* aliquando vocatur Examinatio causæ, *l. properandum 13. §.*

4. C. de judic. l. pen. C. de pedan. judic. alibi Actio, l. i. ff. de stat. hom. § fin. Inst. de l. N. G. & Civ. item certamen cognitionalis, §. C. de Justin. C. confirm. Sunt & plura alia, quæ jugi lectione librorum nostrorum juris, curioso eorundem indagatori, repertu haud erunt difficilia. Et hæc de Definitione Nominis præmonuisse sufficiat, succedit altera illa Realis.

IX. Definimus ergo, vel si mavis, describimus Judicium, quod sit, Legitima rei controversia, inter actorem & reum apud judicem tractatio vel disceptatio, arg. c. forus de V. S. Extr. l. 3. §. 1. ibi disceptatorem ff. de arbit. l. 3. §. ibidem 13. ibi ipsum debere disceptare ff. ad exhibend.

X. Vulgata hæc quidem nostrorum, ut Treutl. vol. 1. disp. 12. ibiq; Hunnii Weseemb. in n. b. r. n. 5. Donell. lib. 17. comm. 3. c. 3. & ibidem Hillig. lit. B. Rittershus. in comment. ad Novell. p. 9. c. 3. n. 3. est definitio, quam tamen retinendam aliisq; quæ vulgò circumferuntur (quas examinat & plerasq; rejicit Hunnius in resolut. suis ad allegat. disp. 12. Treutleri) præferendam arbitramur, quippe cum non solum præsens nostra, omnes, ad judicium constituendum, personas necessarias complectatur, sed etiam earum officium & partes exprimat; præterea etiam genere suo & differentiâ, tanquam indubitatis, omnis bonæ definitionis, *νεπηγεγοις*, constet.

XI. Generis vicem sustinet, *Tractatio*, vel *disceptatio* d. l. 3. ad exhib. quamvis Hillig. Don. Enucl. alleg. l. illud malit. Ad-
dimus *Legitima*, non enim temerè & confusè, ut fors tulit, sed ordine certò, à legib. & jure præscripto, in illa disceptatione sive dijudicatione procedendum est. Sed quia etiam extra judicium & ab aliis qui non sunt judices, causæ disceptari & dijudicari possunt, v. g. ab arbitris, à magistratibus, quia item privatus alteri justitiam ministrare, sicut ipsi tribuendo potest: idcirco pro differentiâ adjecimus *apud judicem*, quæ verba non conveniunt illi disceptationi, quæ fit coram arbitris vel coram magistratu, Rittershus. d. comm. ad Nov. part. 9. c. 3.

XII. Reti-

472
XII. Retinuimus quoque verba, inter actorem & reum
(communitate litigantes) nam licet hæc, ut & verbum con-
troversa, inania & supervacanea esse contendat Bachovius, in
suis not. & adimadvers. ad disp. Tract. vol. 1. disp. 12. tit. 1. lit. A.
nihilominus tamen tolerari posse nec expungenda putamus;
definitio enim rem definitam declarare debet, jam verò is
omissis dubium maneret, quorum ratione controversæ dice-
rentur. Quin potest res inter plures controversa esse, quam
inter quos iudicium est, cum controversa etiam dicatur ante
iudicium l. 25. §. 7. de petit. heredit. l. 2. C. de transact. Vide sis
omninò Hilliger. Don. Enucl. lib. 17. comment. c. 3. lit. B. ubi
hoc ipsum exemplis illustrat.

XIII. Discussâ sic quadantenus Definitione, recto jam
gradu ad Divisiones iudiciorum tradendas tendimus, qua-
rum cum plures extant, & variæ pro varietate diversq; iudi-
ciorum respectu formari possint, ideo mirum, quantopere in
iis methodicè tradendis hætenus insudârint Interpp. nostri,
prout satis argumento esse poterit, summum hac in re studi-
um magni nominis J. Cui Duareni, qui ad tit. D. de iudic. in-
genue facetur, se aliquando annum integrum consumsisse in
definitionibus & divisionibus iudiciorum explicandis, sed
tandem has nugas valere iussisse.

XIV. Verum enim verò quamvis permagna apud nos sit
tanti Jureconfulti autoritas, tanta tamen non est, ut ipsi hæc
in parte ad stipulari possimus, quin potius novimus, quod di-
visio animum legentis incitet, mentem intelligentis præpa-
ret & memoriam artificiosè reformet, ocell docet communis
præceptor Accursius in gloss. ad proem. Inst. §. igitur 4. in verb.
eadem in fin.

XV. Proinde ne istas divisiones confuse & permistim
proponendo quandam nobismet ipsis proponamus difficul-
tatem & remoram arg. §. 3. Inst. de legat. arg. §. 7. in pr. Inst. de
fideic. hered. §. 3. in med. Inst. de leg. adgn. success. rectè atq; ordi-
ne, opinor, fecerimus, si potissimas iudiciorum divisiones ad
certas qu. classes revocantes, iisdem, velut cancellis & limi-
tibus

557
tibus inclusas, heic exhibeamus, imitati in eo Wesemb. in
comm. ad C. h. t. n. 5. Meier in colleg. Argentorat. h. t. n. 4. Rittersh.
ad Nov. alleg. l. n. 4. Arnold. de Reyger disp. 1. ad process. th. 4. &
seqq. Johan Emeric. à Rosbach in proc. civ. tit. 1. Treutl. vol. 1.
disp. 12. h. t.

XVI. Ratione ergo causæ Efficientis dividitur iudicium
in Ecclesiasticum c. 1. X. de constitut. quod coram iudice Ec-
clesiastico, inter personas Ecclesiasticas; vel saltem contra
ejusmodi personas: vel de causa Ecclesiasticâ & spirituali
peragitur c. 2. X. de iudic. c. 1. c. ex tenore 1. X. de for. comp.
t. t. C. de Episc. audient. & Seculare, auth. statuim. C. de E-
pisc. & Cler. quod coram iudice Laico vel seculari inter, vel
contra personas seculares, vel de causa seculari exercetur c.
4. X. de iudiciis cum seq. de For. Comp. Marant. p. 4. dist. 11.
n. 1. de ord. jud. Unde licet multi sint casus, in quibus iudex
Laicus suam jurisdictionem iudiciumq; adversus clericos
exercere possit, quos recensent Myns. c. 1. obs. 22. & præsertim
c. 2. obs. 67. ac Gail. obs. 37. lib. 1. n. 3. & seqq. prout & hodie vi-
gore nunquã satis laudatæ religiôsæ pacificationis, in Comi-
tiis Augustanis Anno 1555. promulgatæ §. damit auch obberürre
beiderseits Religionsverwandten/ tota Jurisdictio Ecclesiasti-
ca (quam olim Carol. M. Ecclesiastico ordini à se constituto
omnigenam demandarat, eundem postea æmulatus Henri-
cus Auceps imprimisq; Otto Magnus plenè communicarat,
ut ex Reineccio refert Knich. de Sax. non prov. jur. in verb. Duc.
Sax. c. 4. f. 118. Laur. Ohm disp. Inaug. de jur. Episc. th. 7. lit.
B.) contra Status Imperii Augustanæ confessioni addictos su-
spensa est, ipsiq; Principes & Status, quibus nunc ea prout se-
cularis in terris suis vigore territorialis superioritatis kraft
habender Landsfürstlicher Obrigkeit competit & exercetur, aut
eorum separata iudicia (quæ Judæis olim Sanhedrim, Græ-
cis Συνέδρια dicta fuere arg. Matth. 5. v. 22. hodie Consistoria
& Officialia arg. c. Roman. pr. de appell. in 6. vocari solent) ne-
gotiorum Ecclesiasticorum competentes iudices sunt Claris-
simus & Excellentiss. Dn. D. Petrus Syring dissert. inaug. de
pac.

473
pac. relig. concl. 29. lit. D & E. Laur. Ohm/ d. disp. th. 18. frustra
renitentibus Ingolst. conf. 24. n. 167. & noviter Jctis Dilling. tr.
de composit. pacis passim cum primis c. 6. qu. 42. quibus tamen no-
vissimè respondet D. Ernest. Gothofred. tr. de jur. consist. concl.
40 & vicissim apud Ecclesiasticum Judicem litigent secula-
res, propterea tamen hæc divisio non tollitur; sufficit enim
quandoq; totum judicium esse vel inter clericos vel inter
Laicos tantum, sufficit in utroq; judicio ut plurimum tam ju-
dicem quam reum, modò clericos, modò laicos esse, licet in
actore sæpè diversum accidat, ubi notanda regula, Actorem
sequi forum Rei, jurib. vulgat. docente hæc eleganter Am-
plissimo Dn. D. Strauchio Decretal. P.P. Consiliar. Electoral. &
Rector. p.t. Magnifico in prælect. sui publ. ad tit. de Judic. Extra.

XVII. Sed numquid hoc ipsum, quod de Principib. no-
stris secularibus modo diximus, esse scilicet illos legitimos
causarum Ecclesiasticarum Judices, adversari videtur Juri Divi-
no 2. Timoth. 2. v. 4. argumento à contrar. sensu ducto? duæ
etenim sunt Jurisdictiones secularis & Ecclesiastica gl. ad c.
novæ de Judic. c. Adrianus c. Valentinianus dist. 63. c. quæsitum 23.
qu. 4. Quarum neutra cum altera misceri confundiq; debet,
Cluten. syll. rer. quotid. concl. 5. lit. b. Nihil enim hac confusio-
ne inordinatius aut saluti Reip. magis contrarium esse docet,
Arnif. de subj. & Exemt. Cler. c. 1. in pr. quo nomine infra quo-
que th 79. Præsuli Romano ejusq; parasitis & patronis dicam
scripsimus, anne ergo quod in illorum personam tanquam ini-
quum reprehendimus, in nobis æquum esse putamus, contr.
tot. tit. ff. quod quisq; jur. in alt. Sanè negant hoc Pontificii eo-
rumq; primipilus Bellarmin. qui lib. 5. de Pontif. Rom. c. 9. de-
fendere conatur personas Ecclesiasticas officio Magistratus
civilis simul fungi posse, ideoq; glaucoma objicere nobis al-
laborat, dum allegat. dict. Apostolic. miris modis eludere &
genuinum ejus sensum subdolè occultare pertentat.

XIIX. Sed rectius edocti nostrates Theologi pariter &
Politici, queis

De meliore luto finxit præcordia Titan

B

Ponti-

Pontificiis firmiter opponunt expressam Christi prohibitionem, Matth. 17. v. 2. & c. 20. v. 25. Marc. 10. v. 42. Luc. 12. v. 14. & 22. v. 25. Joh. 18. v. 36. Deinde Apostolor. exempla quorum nullus fuit, qui imperium politicum attigit. Quid ergo dicemus? Nullo ne jure Principes seculares ex pacificatione Religionis jurisdictionem Ecclesiasticam exercent, quo inclinare videntur novissimè Jcti Dillingen. in tr. de Comp. Pacis c. 6. q. 40. 42. & passim Optimo sanè jure, inquit Dn. Carpzov. *tract. de capit. Caf. c. 3. n. 28.* nec obstante divino præcepto, quod non nisi de iis exaudiendum, qui veri Episcopi sunt, hi sese immiscere non debent secularib. negotiis aut jurisdictionem exercere temporalem; Principes autem nostri seculares propterea non sunt veri Episcopi, quia habent ex pacto religionis jura Episcopalia eaq; restituta potiùs, quàm data, ut ut etiam nominentur respectu istorum jurium tales, cum hæc non constituent Episcopum, sed potiùs prædicatio verbi & administratio sacramentorum, Hutter. *in action. in Gretser. de Imp. in sed. Rom. munif. c. 2.* quod utrumq; deficit in Principibus & Episcopis secularib. Carpz. *d. l. adjuge Reinfingf lib. 1. cl. 4. c. 9.* & novissimè Wurmser. *exerc. 5. Jur. publ. qu. 1. item Matth. Stephan. lib. 2. de jurid. p. 1. c. 7. n. 471. & seqq. & lib. 3. c. 4. n. 13. & seqq. & c. 15. per tot.* ubi dicit: Principes nostros sustinere duplicem personam Principis & Episcopi, sed illam principaliter; hanc verò accessoriè nec jure proprio sed concessione Imperii, vigore dictæ transactionis. Hæc occasione suspensionis jurisdictionis Ecclesiasticæ propter materiæ affinitatem interserenda duximus, memores nimirum Justiniani præcepti, quo ea quæ de eadem re loquuntur, in confinio posita esse debere, præcipit, *l. 2. §. igitur prin. C. de V. I. E.* nunc ad propositum redeundo, percurramus reliquas judiciorum divisiones.

XIX. Utrumq; tam Ecclesiasticum quam Civile aut est *Ordinarium*, quod coram ordinario agitur *t. t. X. & in Sexto & in Clementin. de Offic. jud. ordin. conjung. th. 27. & 29. infr.* aut *Delegatum* Marant. *p. 4. dist. 5.* quod exercet judex delegatus à Prin-

474
à Principe & Ordinario, non suo nomine, sed alieno, mandantis nimirum l. 1. §. unic. ff. de offic. ejus cui mand. jurisd. adde th. 33. aut Subdelegatum, quod coram eo, qui à delegato in casibus permissis substituitur, ventilatur l. à judic. 5. ubi Dd. C. h. t. c. venerabili 37. & ibi Canonista X. de offic. & potest. jud. deleg.

XX. A Formâ seu modo procedendi aliud est *Ordinarium* aliud *Extraordinarium*: Illud, dicitur secundum Dd. communiter, in quo ordinariæ causæ servato juris ordine tractantur, interveniente scilicet libello, litis contestatione & aliis solennitatibus juris positivi, de quibus in l. 1. & in l. probatam C. de sentent. interlocut. ubi Dd. l. 1. cum auth. seq. offeratur C. de lit. contest. & c. quoniam contra X. de prob. Math. Steph. vol. 1. disc. Acad. disc. 11. th. 18. & seqq. Hoc verò, in quo de simplici ac plano, sola veritate facti inspectâ secundum æquitatem proceditur, sine strepitu & figura judicii ordinarii, Clement. lib. 5. t. 11. d. V. S. c. 2. Unde in hoc præter citationem, necessarias probationes & sententiam, reliqua juris positivi & merè civilis solennia quiescere dicit Rittersh. alleg. loc. n. 20. Quod ideo vulgò summarium dicitur. Causar. verò quæ summariter tractari debeant, ordinatio Cam. Imper. p. 3. c. 2. recenset XXVII. quæ verò de jure civili, illas exponit gl. ad l. in h. actione 3. §. sciendum 9. ff. ad Exhib. adde omninò Steph. d. l. Fatemur autem libenter, de jure veteri aliter hosce terminos accipi, prout satis arguit §. 1. Inst. de Interd. ubi Justinianus noster, omnia judicia hodie extraordinaria esse, inquit. De quo post Interpp. ad istum §. videantur, Anton. Faber lib. 4. conj. c. 7. Rosbach in proc. civ. tit. 1. n. 29. novissimè Besold. in delib. jur. lib. 5. q. 3.

XXI. Tandem ratione *Objecti* seu *Finis*, Judiciorum aliud est *Civile*, aliud *Criminale*, aliud *Mixtum*, juxta intentionem, scilicet ac petitionem actoris. *Civile* est in quo ad privatum commodum agitur, sive ob delictum commissum sive contractum vel quasi, Dd. communiter ad l. locatio 9. §. quod illicite 5. vers. alterum ff. de Publ. & vectig. l. licet 42. in pr. & §. 1. ff. de procur. Dissentire videtur Meier. in colleg. Argentor. h. t. n. 1. Crimi-

B 2

minale

minale est, quod ob delictum, ad vindictam publicam seu ad
pœnam corporis inflictivam, vel pecuniariam fisco applican-
dam intenditur, *arg. S. in summa Inst. de Injur. l. sive autem 9. ff.
de publ. in rem act. Marant. p. 4. dist. 1. in pr. In foro Saxon. al-*
tercatio hæc cessat, illudq; judicium duntaxat pro verè cri-
minali habetur, in quo ad pœnam corporalem infligendam
agitur, wann die Klage an Haut vnd Haar gehet/ Landrecht/ lib.
i. artic. 13. ibi vnd vmb alle schuld/ & lib. 1. art. 68. & lib. 3. art. 32.
gl. Weichbild/ arr. 17. post princ. Fachs. diff. 13. Treutl. d. disp. th. i.
sub fin. ἐξέγνησε. In specie tamen pœna zu Haut vnd Haar/
jur. Sax. est fustigatio gl. Nov. artic. 13. lit. F. Weichbild artic. 38.
Coler. decis. 14. n. 10. & 15. Wehner in pr. obs verbo zu Haut vnd
Haar Mixtum est, in quo civiliter & criminaliter agitur, quan-
do simul & interesse & pœna petitur, & sic quodammodò de
utroq; civili & criminali participat. Marant. d. l. n. 92. Zan-
ger de Except. c. 1 p. 1. n. 4.

XXII. Rursus utrumq; judicium, tam Civile quam Cri-
minale, suas habet subdivisiones, quas de industriâ præteri-
mus, ne diutius his immorando, in eisdem latè persequendis
tota ferè nostra consumatur dissertatio, possuntq; de memo-
ratis istis subdivisionibus videri præ aliis Rosbach *in proc. civ.*
tit. 1. ut & de cæteris divisionibus Judiciorum, Marant. p. 4.
per pot. ubi XXII. divisiones enumerat. Sufficiat enim no-
bis, ut præmonuimus quoq; th. 15. nobiliores & famosiores
summo digito, & q. per indicem arg. S. f. Inst. de publ. jud. atti-
gisse, maximè quia cum istis Marantæ divisionib. ita compa-
ratum est, ut illarum aliquæ, cum superioribus nostris con-
veniant, aliquæ sint prorsus alienæ, & judiciis ea tribuantur,
quæ potius aliò pertineant, puta ad actiones, uti animadver-
tit Rittersh. d. p. 9. n. 25.

XXIII. Cæterum quia ad ordinationem sive constitui-
onem Judiciorum tria cum primis necessaria esse videntur:
Personæ scilicet quæ in judicio versantur, deinde materia
circa quam judicia occupantur, ut quæstio sive causa & con-
troversia, & tandem ordo & processus Bocer. *cl. 6. disp. 7. th. 8.*
ideo

ideoq; haud inconueniens esse putamus, hac in re Boceri legere vestigia & de unaquaq; harum affectionum separatim, nonnulla, progenii & ingenii nostri modulo, afferre, exoritur statim à primà, Personis nimirum: parum enim est jus iudiciorum nosse, si personæ, quarum causa iudicium inventum & proditum est, ignorentur *arg. l. 2. §. 13. ff. de orig. jur.*

XXIV. Personæ istæ in iudicio intervenientes, duum sunt generum: vel enim *Necessariæ* seu *principales*, quæ in omni iudicio regulariter, perpetuò ac necessario versantur; ita quidem ut sine his iudicium consistere nequeat, *Rittersh. d. l. c. 4.* vel *Accessoriæ* seu *adjuvantes*, his iudicium sui naturâ carere potest, nam licet, interdum accedant, sæpè tamen absunt, ut iudicium nihilominus constet. Illarum, tribus plerumq; constat *Judice, Actore & Reo c. forus X. de Verb. sign.* nemo enim secum ipse litigat, deinde nemo quoq; sibi ipsi est iudex.

XXV. Diximus notanter plerumq; hisce tribus personis iudicium constare. Nam aliquando est iudicium præsertim in criminalibus & tamen non sunt tres personæ, quando iudex ex officio, generaliter, per viam inquisitionis super delicto notorio & manifesto, ut potest, procedit *l. 13. pr. de offic. presid.* siquidem evidentia patrati sceleris clamore accusatoris non indiget *c. evidentia X. de accus.* & falsam hoc passu scribit regulam, *Neminem sine accusatore damnandû, Rævard. 4. var. II. contra Cujac. i. obs. 33.* similiter Actore vel Reo, per contumaciam absente ad implorationem alterius iudex procedere potest, *Reinfingf de Regim. sec. & Eccl. l. 2. d. 2. c. 13.*

XXVI. Iudex, qui velut lapis angularis, basis ac fundamentum iudicii Vant. *de Nullit. rubr. ex defect. jurid. n. 2.* & velut Dux & Imperator ejusdem, *Bl. in rubr. si à non comp. jud. n. 4.* à jure & dicendo nomen habens *d. c. forus vers. in omni*, definitur juris disceptator, qui causas dirimendas suscipit, habens iudicandi facultatē, puta secundum LL. constitutiones & approbatas cōsuetudines, *l. 14. C. de judic. in med. pr. inst. de off. jud.*

XXVII. Sunt a. de Jure Civ. iudicium duo genera: Unum eorū qui habent jurisdictionē, tū principalē sive jurisdictioni præstant,

præfint, ut Prætor & Præses; five beneficio principis alio magistratu fungantur *l. 5. ff. de Jurisd. l. 1. & pen. ff. h. t. rum etiam, qui mandatam jurisdictionem habent, l. 1. §. 1. ff. de offic. ei cui mand.* Alterum eorum est, qui tantum notionem, non etiam jurisdictionem habent *arg. l. 81. h. & l. 5. ff. de re jud. l. f. C. ubi & apud quem rest. int.* ut, judex datus, qui etiam specialis & pedaneus vocatur *d. l. 5. de re jud. l. 1. C. de P. jud.* sic dicti, quod pedibus ibant in prætorium, vel quia plano q. pede judicabant, in aliquo fortuito aut collatitio scamno vel cespite, nec enim pro tribunali h. e. in loco editiore sedebant, quippe quod soli magistratui competebat, Rittersh. *d. l. c. 5. n. 6. Wes. ad tit. C. h. novissimè Matth. Stephani in comment. super Nov. nov. 82. in pr. statim.* Coincidere cum hac divisione videtur illa quoq;, quæ Imperat. in Nov. facit, alios judices majores; alios minores.

XXIIX. Pro hæc tamen Judicum divisione, quæ in jure civil. extat, vulgò Dd. assolent illam perpetuo in ore habere, quam & usus fori comprobat, qua Jus Canon. alios facit Judices Ordinarios, alios Extraordinarios Marant. *p. 4. dist. 6. Termin. in proc. c. 1. Reyger d. disp. 1. th. 4.*

XXIX. Ordinarius est, qui Imperium, jurisdictionem & plenissimam causarum cognitionem, vel suo jure habet, vel à Principe, universitate & consuetudine sibi concessam, *arg. c. à judicib. 21. qu. 6. l. more major. 5. ff. de jurisd. l. cum Prætor. 12. §. 1. l. pen. ff. de judic.* Talis est Imperator (hic enim caput est *l. unic. ff. ad l. jul. de amb. l. 1. §. initio 4. de off. præf. urb. & fons & scaturigo omnis Jurisdictionis, Wesembec. in π. de jurisd. n. 9.* Ut enim ex Oceano omnes aquæ fluere & refluxere dicuntur, ita ab Imperatore in jus dicentes, per concessionem, Investituras & commissiones fluit, & adeundem per Appellationes, Nullitates & Querelas refluit, quicquid est uspiam jurisdictionis, Math. Stephan. *vol. 1. disc. Acad. jur. publ. 6. & lib. 1. de jurisd. c. 1. n. 83. & novissimè in comment. ad Nov. N. 105. Ventur. de Valent. in part. litig. lib. 1. c. 16. n. 29. Hillig.*

Don.

476

Don. Enucl. lib. 17. c. 7. lit. O. Et hinc est quod Imperator non dicitur Magistratus, sed magistratus causa, non dignitas sed dignitatum culmen, fundamentum & principium *Steph. d. d. 6. in pr.* Dubium tamen nihilominus cuiusmodi [suboriri] posset, annon ipse Imperator quoque habeat jurisdictionem alieno beneficio, per tradita ab *Accurs. in l. 5. more ff. de jurisd.* sed bene id ipsum resolvit ibidem) Tales sunt quoque Reges, Electores, Duces &c. *Treutl. vol. 1. disp. 12. th. 3. Reyger d. 1. ad proc. th. 15.*

XXX. Assessores etiam Camerae Imperialis iudices ordinarios esse statuimus, quia jurisdictionem ab Imperatore statibusque Imperii concessam, in omnes imperii cives, (quod tamen secundum Instantiarum, causarum & personarum ordinem intelligendum *Reinlingf lib. 2. cl. 2. c. 16.*) habent *Gail. 1. obs. 33. & obs. 41. n. 5.* Indeque nec morte Imperatoris exspirat, tum quia jurisdictio ordinaria morte concedentis non extinguitur, *Dd. in l. more maj. ff. de jurisd.* tum quia non solum ipsum Imperatorem, sed omnes Imperii status repraesentat *Reinlingf d. l. 2. cl. 2. c. 14. n. 8. Hunn. ad Tr. th. 3. l. Imperium* autem nunquam moritur *Nov. 8 §. licentia* quin imò perpetuo durat, quamvis Imperator decesserit *Marc. Anton. Peregr. de jur. Fisc. lib. 1. sub rubr. habent jur. fiscal. n. 6.* confer quo ad hanc quaest. novissimè *Besold. in thes. pract. sub verbo Cammergericht* ubi rationes pro utraque parte studiosè compilavit. Sed quorsum referemus Revisores? *Treutlerus enim d. disp. 12. th. 3.* eosdem iudices ordinarios negat, à quo tamen divortium fecit *Hunnus ibid. in resol. suis,* motus autoritate & rationibus *Gailii lib. 1. obs. 154.* item *Reinlingf lib. 2. cl. 2. c. 15. n. 17.* novissimè *Wurmserus exerc. 9. jur. publ.* in quorum sententiam & nos concedere procliviores sumus.

XXXI. *Extraordinarius* iudex est, qui non jure suo, nec principis beneficio universalem jurisdictionem habet, sed limitatam & praescriptam, cujus fines diligenter custodire tenetur *c. super eos 15. & c. super 27. X. de offic. & pot. jud. deleg.* *Rosbach in prax. civ. tit. 5. n. 1.* forma enim ista commissionis
sive

Sive mandati stricti juris est & jurisdictionis extraordinaria,
Gail. 1. obs. 35. n. 3. proinde si non sequatur tenorem ejusdem,
sed longius progrediatur, ultraque personas & causas in re-
scripto comprehensas extendat, impunè ei resisti poterit, cum
extra commissum negotium nullam penitus habeat jurisdic-
tionem, sed privatus reputetur, Gail. d. obs. 35. n. 4.

XXXII. Rursus hic, vel ex commissione ordinarii judi-
cis constituitur, ut *Delegatus*; vel voluntate & electione parti-
um, ut *Arbiter & Arbitrator*, c. sane 11. cum 33. X. de O. I. D.

XXXIII. *Delegatus*, vulgò *Commissarius*, est, cui ex com-
missione superioris jurisdicção & causæ cognitio delegata est,
eoq; nil proprii habet, sed vices delegantis sustinet, c. super
27. in pr. X. de offic. deleg. l. 1. §. qui mandat. ff. de offic. ejus cui
mand. jur. l. solet ff. de jurid. Et delegatus iterum est vel à sum-
mo Principe; vel ab alio inferiore. Illi, censetur plenissima
jurisdicção data & omnia, sine quibus ea commodè exerceri
non potest, c. præterea 5 ff. de offic. & potest. jud. del. ita ut ma-
jor quolibet ordinario censeatur, c. pastoralis §. præterea de off.
jud. ordin. Hartm. Hartm. in obs. pr. tit. 1. obs. 8. quocirca subde-
legandi facultatem habet, l. 3. C. h. t. quia judicis dandi pote-
stas jurisdictionis est, l. 3. inf. ff. de jurid. & sententiam suam
exequendi l. 3. de offic. ejus cui mand. jurid. quod alias judici
dato integrum non est, executio enim, cum sit Imperii, ad ma-
gistratum pertinet, qui judicem dedit, l. à Divo 15 in pr. ff. de re
jud. Bocer. class. 6. d. 2. th. 15. Quod hætenus de Imperatoris
delegato diximus, Canonistæ etiam ad Papæ delegatum ex-
tendunt, d. c. 27. de off. deleg. Huic verò, quia causarum tan-
tum cognitio delegatur, ideo alteri vices suas subdelegare
non potest l. f. ff. de off. ejus cui mand. jurid. limita tamen &
subaudi, nisi cum potestate subdelegandi delegatus c. 15. cui
de off. & pot. jud. deleg. in 6. Thom. Michael de iurid. concl. 142.

XXXIV. *Arbiter* est, qui de communi partium consensu
eligitur, ut ordine juris observato, causam litigantium loco
judicis cognoscat l. 1. ff. de arb. l. 76. ff. pro soc. l. 14. C. de judic.
Gail. 1. obs. 150. n. 4. in hunc tanquam virum bonum, com-
pro-

477

promitti solet sub stipulatione certæ pœnæ, quam pars à lau-
do ejusdem recedens, parti adversæ præstare damnas est,
Nov. 28. c. quia vero 11. §. & quia Auth. decernit C. de recept. ar-
bit. unde nec ab eodem regulariter appellare licet Geil. d. l. n.
8. servandum enim est sive æquum sive iniquum fuerit d. l. 76.
pro socio l. 27. §. 2 l. 21. §. 7. h. t. cum transactio quædam dica-
tur, Auth. si contigerit C. de judic. Geil. d. l. Arbitrator, vel qui
idem, Amicabilis compositor est, qui itidem litigantium mutuâ
conventionem, absq; tamen pœnæ stipulatione designatus est,
ut omni juris ordine neglecto, summarie duntaxat, litem
partium cognoscendo ex æquo & bono componat d. l. 76. ff.
pro socio ubi Bart. & Dd. Althus. in Dicaelog lib. 3. c. 4. n. 25.

XXXV. Præmissis ita divisionibus, proximum est videre
1. qui iudices dare possint. 2. Qui iudices dari possint, vel
non. De utroq; articulo conjunctim agit Jctus in l. cum Præ-
tor 12. §. 1. & seqq. ff. h. t. De priori quidem hanc proponit re-
gulam: *Judicem dare possunt, quibus hoc conceditur lege, vel con-
stitutione, vel sc̄to, vel more.* Brevius & clarius ita hoc efferri
posse putat, Ritters. ad Nov. p. 9. c. 6. n. 10. *Judicem dare potest
is, qui habet jurisdictionem sive magistratum scil. non municipa-
lem sed vel urbanum vel provincialem.* Nec tantum hi, qui
propriam ac suo jure habent jurisdictionem, verum ii etiam,
quibus mandata est jurisdictio, iudicem dare possunt d. l. 12. §.
1. Non obst. l. f. ff. de offic. ejus cui mand. jur. quia aliud est man-
dare jurisdictionem; aliud dare iudicem seu delegare, quæ
duo non confundenda. Prius jure nostro denegatur ei, cui
est mandata jurisdictio d. l. f. posterius autem permittitur ei-
dem d. l. 12. ff. h. t. Similiter obst. videtur l. eum qui 23. ff. de ju-
rid. Sed optimè *Evartio Qavíav* diluit Rittersh. alleg. l. ad quem
studio brevitatis ablegasse sufficiat.

XXXVI. Regula ista quam in præced. th. affirmativè pro-
posuimus, etiam negativè procedit, puta: *Qui non est
magistratus, iudicem dare nequit,* quia qui dedit iudicem, is et-
iam potestate armatus esse debet cogendi eum, si fortè nolit
iudicare l. 74. ff. de judic. Hanc autem potestatem cogendi
nemo

nemo habet, nisi sit magistratus. Patescit ergo hinc homines
privatos, utpote jurisdictione destitutos, judicem dare non
posse, l. 3. C. de Jurisd. omn. jud. Nec quicquam negotii nobis
facessere putamus, l. 1. 2 ff. h. t. & l. 1. C. de Jurisd. omn. judic.
quia separata & omnino distinguenda veniunt datio judicis
& prorogatione jurisdictionis. Illa adempta est privatis eo
ipso, quod est, jurisdictionis: Hac vero permessa est jure no-
stro, quamvis moribus aliud ferè sit receptum, ex quo Juris-
dictiones patrimoniales effectæ, Hillig. Don. Euucl. lib. 17. c.
20. lit. N.

XXXVII. Ast dicat hic quispiam auremq; nobis vellat,
quid opus speciali judicum datione, cum magistratus ipsius
sit officium jus reddere quos etiam moribus nostris videmus
istud officii usurpare, ut itaq. conjunctum nec diversum ma-
gistratus & judicis sit officium. Is responsi loco velim sibi habeat,
quod olim ipsi magistratus Romani rarò aut planè extra ordi-
nem judicant Rosen. 9. antiq. 1 Sigon. de antiq. jur. civil. Ro. 20.
& 1. de jud. & seq. sed in factam à partibus sponsonem recupe-
ratores consensu litigantium dabant, eosq; certo judicum albo
adscriptos ad privatas controversias Prætores selegerant Tr.
& disp. th. 3. cæterisq; ab eod. alleg. Potuisse tamen judicare satis
probat, quia potuere alium judicem dare litigantibus l. 1.
in f. ff. de Jurisd. quidni ergo ipsi quoq; possint causam cogno-
scere si velint, & judicare, arg. l. nemo plus juris ff. de R. l. Ritters.
p. 9. c. 6. n. 6. Besold. diss. 3. de magistr. & cens. c. 3. Diss. Hunn.
ad Treuth. th. 3. Afferri etiam altera ratio necessitatis dando-
rum judicum potest, scil. multitudo & varietas quotidie ob-
repentium negotiorum, crescente enim Republ. & litium
multitudine, per magistratum omnia expediri non potue-
runt, idcirco necesse fuit judices constituere, qui lites secun-
dum juris ordinem audire & definire possent, Rosbach in proc.
viv. tit. 4. n. 9. Reinkingf. lib. 2. c. 12. in pr. ut nihil jam di-
camus de magistratus invaletudine & absentia, aliisque ratio-
nibus. specialem judicum dationem efflagitantibus.

XXXIX. Reliquum est, ut dispiciamus qui judices esse
debeat, offunt, cum apta & idonea esse debeat æquè tam
persona

478
persona judicantis, quam danti l. 12. §. 2. l. 6. Generalem e-
go maximam ponimus, quod (in his judex dari possit (est e-
nim judicandi potestas in genere permissorum, Treutl. d. d. th.
7. lit. B.) qui non prohibeatur, sive patres sive filii familias
sunt d. l. cum Praetor inf. l. 77. ff. ead. cum quâ vulgò pugnare
putatur l. 10. ff. de jurid. quarum conciliationem nobis suppe-
ditat Treutl. vol. 1. disp. 3. th. 8. lit. A. ibiq; Bacchov. & Hunnius
disp. 12. Treutl. th. 7. Accurs. ad d. l. 10. Eorum igitur, qui ju-
dices dari prohibentur, tres veluti classes constituuntur à
Jcto Paulo d. l. 12. dum alios ait impediri. *Natura*, alios *Leges*
alios *Moribus* d. l. 12.

XXXIX. *Naturâ* prohibentur *Surdus*, qui nihil prorsus
vel difficulter exaudit l. 3. §. *surdus* ff. ad SC. *syllan.* *Mutus*, cu-
jus prohibitionis adæquata ratio nemini non obvia esse pot-
est, puta quia potissima pars judiciarii muneris est audire &
cognoscere causas, & utriusq; partis jura, ipsaq; ut dici solet,
causarum cubilia plenâ inquisitione discutere, cuncta rimari,
frequenter & litigantes & testes interrogare, textus est pul-
cher de offic. judic. in can. 11. *judicantem* 30. q. 5. l. 9. C. de jud.
quotusquisq; autem nostrum est, qui non videat, præ dictas
personas per rerum naturam hoc muneris obire non posse;
accedit insuper de muto specialis ratio, quod is neque inter-
loqui neq; sententiam recitare potest, quorum utrumq; alias
judici incumbit r. C. de sent. ex peric. & t. tit. Inst. de offic. jud.

XL. *Furiosus perpetuo*, per rationem annexam prohibetur,
d. l. 12. §. 2. & l. 40 ff. de R. I. notanter autem addidit Jctus vo-
cabulam *Perpetuo*, reperiuntur enim nonnulli furiosorum,
qui dilucida habent furoris sui intervalla, quos tempore re-
missi furoris, nec lex nec sana ratio, judices esse prohibet.
Impubes d. l. 12. l. 2. §. 1. de R. I. id est, qui nondum XIV. ætatis
annum complevit, pr. Inst. quib. mod. tut. fin. imò ne quidem
per auctoritatem tutoris idoneus efficitur ad judicandum, se-
cus ac in aliis negotiis. *Minor XVIII. anni*, l. *quidam* 57. ff. de re
jud. c. cum vicissim antepen. de offic. Deleg. (nisi datus sit à princi-
pe, vel nisi partes consenserint, Dd. in l. *quidam*) Frustra qui-
dam

quidam dissentiunt per *l. 12. ff. h. t.* Major autem 18. annis, quia plenam pubertatem attigerit. *S. 4. Inst. de adopt.* Judex dari non prohibetur, *d. l. quidam*, sicuti nec Cæcus, *l. Cæcus 6. ff. h. t. l. 1. §. secundas ff. de postul.*

XLII. Lege impeditur, qui Senatu propter turpitudinem, *l. Cassius 2. ff. de Senat.* motus est. *d. l. cum Prætor 12. §. 2.* nisi forte restitutus est, *d. l. 2. Cass.* vel tempus condemnationis ejusdem sit elapsum, *l. 3. §. 1. de decurion. Legum & juru imperitus*, à Dd. grossus sive grossulanus dictus, *l. rem non 14. in verbo ll. observ. C. de Jud. Novell. 82. c. statuimus 8. dist. 61.* Nisi res ita comparata sit, ut ejus experientiam habeat, *l. certi juru 17. C. de judic. l. pen. & C. de jurisd.* Magistratus autem sive judex major, quin imperitus olim esse potuerit, vel fuerit, non dubitamus, cum hi frequenter essent homines militares, assessores habentes ll. peritos, quos in consilium adhibere poterant, iisdemque, si quid minus rectè judicatum fuisset, imputabatur Cujac. *ad d. Nov. 82.* Bachov. *ad dup. Tr. h. t. th. 7. lit. D.* An verò approbandus sit mos plerorumque judiciorum, ubi Scabini ἀναλόγηται de causis cognoscunt, vide apud Besold. *de magistr. & cens. c. 3. n. 3.*

XLIII. Moribus denique arcentur Servus, *d. l. 12. h. t. l. quod at- tin. 32. de R. J.* quod tamen de servis nostris, utpote liberis hominibus, explosâ & sublata antiquâ servitute, non exaudendum putamus, cum Meiero in *Coll. Argent. ad h. t. ff. rorum num. 40.* Item *Fœmina, d. l. 12.* non, quia careant judicio, sed quia ita receptum est consuetudine, ut civilibus non fungantur officiis. Hodie tamen eadem usu & consuetudine, nec non principis privilegio hæreditariâ jurisdictione funguntur, attestantibus Phil. Matthæi, Bronch. Decio, aliisque *ad l. 2. ff. de R. J.*

XLIV. Transeamus ad Officium judicis, ubi latissimus quidem dicendi campus se nobis offert, quem ingredi omniaque, quæ hac de re in libb. juris nostri habentur, huc apponere nec animi nec ingenii est, proinde memores instituti uno alteroq; generali axioma tradito, hinc progrediemur ad alia. Com-
modè

479

modè autem fecerimus, si Judicis Officium dispescamus in U-
niversale & Particulare. Illud est, quod ad totum ipsius munus
omnesque ejus partes pertinet. Palmarium ergo & summum
esto, judicem timore Domini præditum esse debere, *Exod. 18.*
v. 21. quia timor Domini est initium omnis sapientiæ, deinde
quia non hominis, sed Dei exercent judicium, *2. Chron. 19. v. 16.*
ideoque Dei & LL. timore sententiam ferre debent, *Nov. 23. c. 3.*
cum æterni tribunal judicis illum reum non habeant, quem ju-
dex injustè condemnat. *c. 1. in pr. de sent. & re jud. in 6.* adeoq;
cæteris omnibus requisitis, quæ Jethro all. loc. breviter, ast ner-
vosè complexus Moyse genero suo, in judicibus elegendis
proponit, ornatus esse debet, de quibus ex parte supra audi-
vimus.

XLIV. In administrandâ justitiâ judex per omnia candidè,
sincerè & incorruptè se gerere, nec secundum animi sui du-
ctum, sed secundum LL. Constitutiones, mores rationabiles
& statuta locorum recepta (quatenus tamen hæc allegabun-
tur & probabuntur, cum sint facti, *Gail. lib. 1. obs. 36. num. 16. Hil-*
lig. Don. Enucl. l. 26. cap. 2. A.) judicare debet *pr. Inst. d. O. 1. Nov. 82.*
c. 2. & 13. & in specie Judici & Assess. Camer. Imperialis præscribitur
ord. Cam. p. 1. tit. 13. in pr. atque hæc se præstiturum, antequam
ad judicandi munus evehitur, juramento se adstringere debet.
l. 13. §. 4. l. 14. pr. C. h.

XLV. Suboritur enodanda quæstio Jctorum & Politico-
rum disputationibus nobilitata & ad usum fori accommoda-
ta. An Judex in judicando magis æquitatem quam jus scri-
ptum observare debet? Nos salvo aliorum judicio, valereque
jussis variis variorum distinctionibus, cum Reinkingio ita li-
tem dirimendam putamus: Æquitatem videlicet legalem, h. e.
quæ ex ipsis LL. visceribus & arte juris eruitur, pro diversitate
personarum, rerum, temporis & circumstantiarum juri stricto
& in thesi sine æquitatis, ex circumstantiis & diversis casuum
figuris descendenti. cōsideratione, inspecto, præferendam esse,
C 3 textus

textus in *l. placuit 8. C. de judic. & l. si ita scriptum 13. in pr. de lib. & posth.* Etenim proprietates verborum (quæ dum plerumq̄s attenditur, sensus veritatis amittitur, *c. propterea 8. de V. S.*) non curanda, cum manifestum est aliud sensisse scriptorem *l. non aliter 69. ff. de legat. 3.* nec inspici debet verborum contextus, sed vis ipsorum & loquentis intentio *c. intellig. 6. de V. S.*

XLVI. Fallit hoc, cum verba & mens legis adeo clara sunt, ut salva ratione recti sermonis recipere nequeant interpretationem ex æquo & bono, tunc simpliciter lex servanda est. Hoc quidem perquam durum est sed ita lex scripta, *l. prospexit 12. qui & à quib. manumit.* hæc sententia rationem quidem habet, sed hoc jure utimur, *l. stichum 39. § si stichus 4. de statu lib.* quippe cum in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio, *l. ille act. 25. §. 1. de leg. 3.* cum voluntas principis pro lege habeatur, *l. 1. §. fin. C. de Ll. verba autem demonstrant voluntatem dicentis l. Labeo 7. §. servius 2. de supp. leg.* De principali autem judicio disputare velle sacrilegii instar est *l. 1. l. 13. C. d. crim. sacril.* notum enim est illud Senecæ: *Jubeat lex, non disputet,* itemq̄; Augustini: *Non de Legibus, sed secundum ll. judicandum est, posteaquam latae sunt.* Et sane nisi hoc ita esset, quid certi & perpetui in jure nostro nobis polliceri possemus, quibuslibet imaginariam, ex indigesto motu & affectione animi descendentem æquitatem crepantibus, juriq̄; scripto præferentibus, quod tamen velle facere, non solum periculosum, sed etiam temerarium & levitatis plenissimum esse, prudenter dudum monuit Castrensis *ad l. placuit C. de judiciis.*

XLVII. Illud etiam officii sui Judex quam maximè cogitet esse, ut lites minuat *l. 21. ff. de reb. cred.* nihil aliud intendendo, quàm ut partes ad concordiam reducat *l. 1. §. indagatur ff. de nov. oper. nunc.* ideoque antequam litigantes ad ordinariam cognitionem remittat, prius amicabilem compositionem tentet, quâ deficiente eos ad formam compromissi persuadeat, *Dd. per c. 1. sub f. X. de mut. petit. c. querel. 15. pers. causam concord. X. de Simon.* Quamvis ad neutrum eos invitos,

vitos, ne quidem obtentū commissionis principalis, cogere possit, l. 7. ex stipul. C. de sent. & interl. Arum. post alios p. 2. decis. n. n. 72. Sin verò eos ad amicabilem compositionem, vel formam compromissi permovere nequeat, iisdem causâ summariter cognitâ viam juris aperiat, & æqualiter ac indifferenter omnibusq; cujuscunq; ordinis sive splendidioris sive tenuioris fortunæ (nullum ergò locum relinquat abblaudienti quorundam voci, quasi in jure nostro *casus pro amico* ut vocant darentur, de quib. vide Treutl. *disp. 1. th. 1. vol. 1. ibiq;* Hunnium, neq; se occæcari & in transversum adigi patiatur, acceptis muneribus, quod tam severè sacre literæ & dictamen sana rationis prohibent, vide Libor. à Bodenstein in *diquis. polit. lib. 2. c. 20. p. mihi 191. ubi iudices hos emtos & constupratos vocat*) iustitiam administret, ex tenore *l. X. de for. comp. c. in iudic. & 2. de R. I. in 6. c. va 11. qu. 3.*

XLVIII. Expedienda hic venit vulgata & vexata à Dd. quâ veteribus quâ recentioribus concertatio. An iudex debeat judicare secundum acta & probata, an verò secundum conscientiam? Et communiter itum est à Dd. quos longa serie recenset Clariss. Dn. D. *Kremsberg præceptor meus honoratiss. in coroll. f. disp. 21. colleg. Inst. per rationes llq; ibid. allegatas in affirmativam membri prioris qu. propositæ, cum quibus & nos transimus. Eatenus tamen eidem opinioni subscribeamus, ut iudex nunquam neglectâ conscientia contra eandem sententiam ferat, Treutl. d. d. th. 14. *Reinsing lib. 2. el. 2. c. 12. n. 15. rectè enim Cassiodor. Nimis execrabile est malum, si cum aliud noverit conscientia, aliud decernat lingua & Pontifex in c. literas X. de restit. spolius quicquid est contra conscientiam ædificat ad gehennam. Hinc scite Reinsing d. l. qui simpliciter asserunt neglectâ conscientia iudicem secundum acta judicare debere, non magnam mihi videntur habere rationem conscientia. Rectius ergo hoc casu faciet iudex, si iudicio abstineat, & rem ad superiorem, si habet, deferat Bach. ad Tr. d. l. th. 14. inf. nec placet istud consilii, quod quidam suggerunt, ut testis personam induat, nihil enim hoc ipso**

ipso efficiet proderitque parti, cum de omni jure Divino & humano unius testimonium nullum sit, etiam Principis, Clar. 5. sent. §. fin. n. 21. maximè casu præsentis, ubi exutâ judicis qualitate, testis personam reassumit, arg. l. f. 25 ff. de testib. & l. f. C. de Ass.

XLIX. Sequitur Particulare seu speciale Judicis Officium, quod circa hanc vel illam judicii partem versatur, de quo latissimè Rosbach *prax. cit. tit. 4. n. 21. & seqq.* Just. Meier *in colleg. Argentorat. ad tit. ff. de judiciis th. 52. & seqq.* unde hauriri possunt, ne, præter mentem, nimis verbosa fiat disputatio, ceu loquitur Justinianus noster *pr. inst. quod cum eo qui in alien. potest. & c. & pagellarum*, quas paucas esse volumus, numerus excreseat.

L. Sed age videamus, quibus modis quis desinat esse judex: Primus esto Mors judicis l. 13. §. 8. C. b. II. si dies intra quem judicare debebat elapsus sit, l. 32. h. nisi litigatores consensu jurisdictionem ejus prorogaverint l. 2. §. si & judex ff. de judic. modo tempus lege definitum isthæc prorogatio non excedat, l. 32. ff. d. t. i. e. triennium l. properand. §. 1. C. h. t. III. Si judicare vetet is, qui judicem dedit, vel qui majus imperium in eadem jurisdictione habet d. l. 58. vel etiam si ipse judex ejusdem imperii esse cœperit, cujus is, qui judicare jussit, cum par in parem & c. l. 3. & seq. de recept. arbit. IV. Si judex datus deprehendatur minus idoneus, propter impedimentum superveniens l. 18. pr. l. 46. h. l. prætor 13. in pr. ff. de voc. exc. mun. V. Notabilissimus modus, si judex ut suspectus, cum omnes lites absq; suspitione procedere debeant, l. 16. C. h. recusetur d. l.

LI. Disceptatur autem, quis Judex recusari possit ut suspectus? Et delegatus quin possit, nullam recipit dubitationem per d. l. 16. etiam si sit delegatus & commissarius supremi Principis, vel alterius magistratus superiorem non recognoscendis, d. l. 16. ibiq; Dd. Myns. c. 2. obs. 52. in tantum, ut etiam causa cum clausula, Remota recusatione, à Principe delegata, recusatio nihilominus ex gravibus & legitimis suspitionibus admittatur, Gail. lib. 1. obs. 33. Myns. cent. 3. obs. 63. in f. Ordinarium

rium tamen judicem, seu magistratum regulariter de Jure civili non posse recusari ad eum effectum, ut tanquam suspectus removeatur, arbitramur. Huic enim si suspectus est, dandus est adjunctus Nov. 86. & Auth. si vero contig. C. de judic. Neyerger all. disp. th. 25. De jure Canon. tamen & usu forensi expeditum est, utrumq; tam Deleg. quam Ordinarium rejici posse, text. in c. suspicionis 39. X. de off. & pot. jud. del. c. si quis contra 4. c. licet 10. in f. X. de F. C. Adeo utet senatus vel collegium sapientum, tanquam suspectum, recusari possit si omnes suspecti sint Menoch. lib. 2. A. l. Q. cas. 458. n. 3. & 4. aut major pars eorum, aut etiam unus spectata autoritatis, cui reliqui contradicere non audent, Menoch. d. cas. 458. n. 22. & seqq.

LII. Tempus proponendæ hujus exceptionis est, ut fiat ante litem contestatam, d. l. 6. ubi Dd. C. h. t. & quidem sub initium litis, ante omnes alias exceptiones dilatorias proponenda, de qua notabili cautela videatur, Marant. p. 4. dist. 12. n. 5. & 6. & p. 6. act. 2. n. 25. Quod si post cœptum judicium suspicio emergat, in quacunque parte litis, etiam post conclusionem objici potest, modò id evidenter constet judici, Myns. 4. obs. 59. Imò etsi causa recusationis ante litem contestatam emerferit, si allegans eam post litem contestatam, justam ignorantiam suam probet, adhuc erit audiendus, Covarr. pr. qu. 26. Mynsing. 5. obs. 89. quos refert ac sequitur Treutl. disp. d. th. 11. lit. C.

LIII. Causæ recusationis variæ sunt, quarum Rittersh. ad Nov. p. 9. c. 6. n. 79. & seqq. enumerat XXIII. Zanger. de except. c. 4. p. 2. XXII. Marant. p. 6. de ord. jud. in secund. act. prim. XL. recenset, pleræq; tamen possunt revocari ad hæc duo summa capita : Amicitiam & Inimicitiam judicis, quæ ipsi vel cum alterutro litigatorum vel cum ejus cognatis intercedit, Rittersh. d. l. Et in summa, quælibet singularis affectio erga alteram partem, probabilem suspicionis causam inducit, ubi enim affectus judicat, ratio claudicat, inquit D. Bernhard.

LIV. Quæstionis autem controversæ est, sit ne jure necessum ut causa suspicionis exprimat, ac doceatur ab ea parte, D. quæ



quæ contra judicem ut suspectum excipit? Nos J. civil. cau-
sæ expressionem & probationem haud necessariam esse, dici-
mus, d. l. apertis. 16. C. b. ubi Dd. l. 4. in f. ff. ad sctum Treb. Geil.
1. obs. 33. n. 15. Nenger d. d. th. 26. Diff. Treutl. d. d. & Hunn. ad
eund. Pontifico tamen jure & de consuetudine secus esse sta-
tuimus, c. secundo requirit. 41. & c. 61. cum speciali X. de appell. &
c. 39. suspicionis X. de offic. deleg. Marant. p. 4. distinct. 5. num. 40.
Rittersh. in tract. de diff. jur. civ. & Can. l. 5. c. 8. p. mihi 369. Myns.
c. 3. obs. 63.

LV. Cognoscit autem de causa suspicionis arbiter ad hoc
datus, d. jurib. Myns. all. l. Hartm. Hartm. in pract. obs. tit. 1. obs.
83. ubi notanda est iterum diff. inter jus civile & Pontificium
quoad arbitratorum electionem, quam habet Rittersh. d. 12. de
diff. jur. civ. & Can. l. 5. c. 8. diff. 2. Interea verò dum arbiter co-
gnoscit, suspenditur judicis jurisdictio ejusq; judicandi po-
testas, adeo ut ne quidem alteri possit causam committere,
aliumve exercere actum, absq; consensu recusantis, quod si
processerit, processus ipso jure nullus est, Myns. c. 4. obs. 59.
Treut. d. l. th. 17. in f. ibiq; Hunnius.

LVI. Generaliter hisce prædictis th. 50. modis subjungi-
mus, quod licet iisdem persona subducatur judicis, judicium
tamen inde non mutari, sed idem manere quod prius, & in
subducti judicis locum alium substitui, l. mortuo 60. l. propon.
76. ff. de judic. Nov. 134. ut null. jud. c. 6.

LVII. Hactenus de judice principalium personarum pri-
mâ conf. th. 24. quem jam excipiunt litigantes ipsi, inter quos
questio movetur & tractatur, l. 62. l. 13. l. 14. de judic. vocantur
adversarii, partes diversæ, l. 31. ff. de rec. arbit. litem exercen-
tes, in l. 32. §. 9. ff. eod. qui in jure & judicio experiuntur, l. 55.
de edil. edict. & c. Horum si plures fuerint, ab unâ vel alterâ
parte vel etiam utrinq;, consortes litis appellantur, r. t. C. de
conf. ejusd. lit. loco tamen unius sunt, l. 9. de pact. Wesemb. ad
tit. C. de ord. l. jud. n. 10.

LVIII. Appellatur verò litigator unius partis Actor, al-
terius Reus, Auth. litigios C. de litig. cum simil. Quandoq; etiam
his se quispiam adjungit pro interesse suo, l. principaliter 19. C.
de lib.

482
de lib. caus. l. 14. ff. de appell. quem Interveniētem appellamus.
Gail. lib. 1. obs. 69, 70, 71. Myns. c. 3. obs. 73, qui ipse tamen sem-
per vel tanquam actor contra reum venit, vel reo convento
accedens actori sese opponit, quod quibus casib. & quomodo
fiat, & quis interventionis illius sit effectus vid. apud præci-
tat. Gail. d. d. loc. De his igitur duobus Actore & Reo, ordine
sic postulante agemus.

LIX. Priusquam verò id tentabimus, præmittamus, &
inquiramus; An homini Christiano in iudicio contendere li-
ceat? ne in re illicità curiosè occupati videamur. Reperiun-
tur enim non solum nonnulli iudiciorum actionumq; foren-
sium iniqui æstimatores rigidiq; Aristarchi, sed exstiterunt
quoq; proavorū memoriā nostrāq; hac tempestate illis multo
peiores Anabaptistæ, fanaticum genus hominum, qui nescio
quo ementito perfectionis colore, augusta iudicum tribuna-
lia planè subvertere satagunt & Christianos à iudicio a. foro
procul arcere conantur; interea non attendentes, quanta
à τὰ ξία mundum confundāt. Quapropter illorum errori op-
ponimus immota sacre scriptur. testimonia, Deut. c. 17. & c. 19.
v. 17. ut & c. 25. pr. eod. 2. Paralip. 19. v. 16. quæ loca ne quis ad Ju-
dæorum Politiam tantùm pertinere dicere præsumat, notan-
dum, quod Deus in 8. præcepto legis moralis prohibuerit fal-
sa testimonia, quæ ad iudicia forensia pertinent. Et in N. T.
non desunt exempla eorum, qui coram Magistratu ethnico
causam suam peregerunt, ut ipsius CHRISTI coram Pilato,
Joh. 18. v. 23. D. Apost. Pauli, Act. 25. v. 8. ubi accusatoribus suis
respondet, quin & v. 10. remedio appellationis, quæ tamen
pars juridici processus, utitur. Facebant ergo procul Anaba-
ptistæ cum suis complicibus, dum magno conatu magnas nu-
gas agunt, & partim rationibus jejunis & frigidiusculis, par-
tim etiam argumentis ex ipsâ sacrâ scriptura petitis, erroneæ
sue doctrinæ prætextum quærunt. Quàm verò ficulnea ista
sint præsidia videre poteris apud Dn. D. Balduinum p. m. lib. 4.
c. 12. cas. 5. de casib. conscient. Hunn. ad Treut. th. f. & lib. 4. var. re-
sol. tr. 1. qu. 2. & tr. de iurid. qu. 1. & 2. Speckhan cent. 3. d. 3. q. 3.

D 2

LX. Nostrum



LX. Nostrum tamen heic facere non possumus, quod quibusdam è nostris Mynsing. 3. obs. 6. ibiq; allegat. Dd. Coe varr. 1. var resol. 2. Decio in l. ea est 65. ff. de R. l. & Bronchorst. ibidem placuisse videmus, scilicet justè litiganti licere adversarium decipere & circumvenire, sicuti & Speculat. sub t. de Advoc. §. 7. Advocatum instruit, vel ambiguus & duplicibus sermonibus utatur. Verum admisâ hac perniciosâ Reipubl. opinione, quam latè fenestra aperiatur malitiis hominum, quibus tamen indulgendum non est, l. 38. in fundo ff. de rei vind. neminem latere potest, cum etiam quivis Advocatus cavillationes & fallacias suas, prætextu bonæ causæ, palliare & insidiosè celare possit, adeoq; judicia fraudibus, strophis & doliis, non sine levi jactura justitiæ, replerentur, neq; etiam tantum finem sed etiam media legitima esse oportet. Quasi vero, magnæ & eruditæ jurisprudentiæ signum sit, veritati fucum facere, & mendacia certatim propugnare posse, inquit P. Frid. Mindan. in epist. dedicat. lib. 1. de pros. execut. quem legisse hic juvat, ut & Treutl. vol. 1. disp. 8. th. 3. ibique Bachov. & Hunn. & rursus Treut. disp. 12. h. t. th. 17.

LXI. Hisce ergo præmunitionis loco velut præsuppositis Actor nobis est, qui quæstionem seu rem controversam, ad rei judicem competentem l. 2. C. de jurid. l. 3. C. ubi in rem act. ejus dirimendæ causæ, l. 10. ff. d. off. proc. l. 34. §. 8. de jurejur. defert, Althus. lib. 3. c. 6. Dicozolog. Plerumq; petitor, maximè in realibus, dicitur, l. 62. ff. de judic. l. quinquag. 22. ff. de prob. German. Kläger. In criminalibus tamen causis propriè Accusator t. t. ff. de Accus. Germ. Anflager. Cæterum, quia in omni judicio necesse est, ut unus litigatorum sit Actor, alter Reus, inde fit, ut in tribus illis duplicibus judiciis Famil. herciscundæ, Communi Dividund. & Fin. regundor, in quibus aliâs par utriusq; litigantis causa, ad judicium formandum unus tantum pro actore habeatur, puta is, qui prius ad judicium provocavit l. in tribus 13. l. qui appellat 29. ff. de judic. l. nihil 2. §. 3. ff. famil. hercisc. Quod si forte ambo simul provocarint, tum sorte res discerni solet l. 14. de judic. ff.

LXII. Actor

LXII. Actor autem semper ab initio volens est, invitus nunquam, siquidem regula est, ut nemo invitus agere vel accusare compellatur, *l. un. C. ut nemo invit.* quæ tamen fallit, si id specialiter illi à lege injungatur, *l. 18. l. 24. C. de admin. tutor. l. 10. C. de legit. her. l. 8. C. de neg. gest.* item in causa diffamari, *Mynf. cent. 6. obs. 90. Gail. lib. 1. obs. 9.* aliisq; casibus notatis à Gothofred. *ad d. l. unic.* A lite verò cœpta impune non licere Actori resilire, indubium est, nisi reo consentiente fiat, *Vult. lib. 2. jur. Rom. c. 1.*

LXIII. Agere autem possunt, qui legitimam personam habent, id est, ut non prohibeantur *l. 43. S. 1. de Procur. & simil. t. t. C. qui leg. pers. stand.* Prohibentur autem alii Naturâ, alii Lege, rursus alii Canone: Naturâ prohibentur Pupilli, Furiosi, Mente capti, Muti & surdi simul, *tot. tit. ff. de post. & C. qui legit. pers. stand. & c. ibiq; Vvesemb. in comment. ad Cod. l. furiosus 40. ff. de Reg. jur. l. ubi non voce 124. ff. eodem.*

LXIV. Lege prohibentur Minores, *l. in reb. 2. C. qui legit. pers. stand. in jud. Prodigii l. 1. ff. de excusat. fur. & C. eod. Servi, l. 6. cum seq. C. de judic. nisi quibusdam casibus, l. vix certis 53. ff. de jud. Deportati, secundum Dd. magis communem calculum, quia quæcunq; sunt jur. civ. in quibus & actiones, l. 2. S. 6. ff. de orig. jur. una cum civitate amittunt, l. 5. pr. l. ult. de cap. minut. l. 17. de pœn.* Proinde cum in locum deportationis successerit bannum imperiale, *Clariss. Dn. D. Lindeman exerc. 1. Justin. ad tit. quib. mod. jurpot. part. 12. tb. 4. & bannitis agendi facultatem adimunt, adeo ut nec causas ante damnationem cœptas persequi posse statuunt, Gail. 2. de P. P. 12. Mynf. c. 3. obs. 30. quibus ad stipulatur Hunnius in resol. ad Treutl. vol. 1. disp. 9. th. 2. sub qu. 15.* Item Libertus contra Patronum, *l. 4. S. 1. ff. de in jus voc.*

LXV. Filiusfamil. etiam prohibetur contra patrem litem movere, excepto peculio castrensi, vel quasi, & aliis nonnullis casibus, *l. lis nulla 4. ff. de judic. l. miles 4. S. lis ff. d. cast. pec.* Imò ne quidem adversus alium extraneum, filius in potestate patris constitutus, sine consensu patris iudicio rectè experiri

D 3

potest,

potest, nisi legationis aut studiorum causa absit, vel factum vel damnum injuria passus sit, *l. si longius 18. §. 1. ff. de judic. l. filius. 9. ff. de O. & A. l. f. sub fin. C. de bon. qualib.* Hodie de jur. Sax. liberi, majores tamen 21. annis post separationem justā ex causā à parentibus factam, etiam de bonis adventitiis, quæ à parentibus tali casu plenariè, non retento usufructu, ipsis restituenda veniunt, per text. *Sondrecht. lib. 1. artic. 11. in pr. ubi gl. Lac. ad text. Germ. sub lit. B. post pr. Nov. Elect. Aug. p. 2. const. 10. ibiq; Møller. instar patrum. in judicio recte agūt & ab alijs conveniuntur.* Mulieres prohibentur in criminalibus, *l. 8. l. 13. ff. de accus. Wesemb. in π C. qui legit. pers. & c. Jure Sax. indistinctè absq; tutore & curatore Wes. d. l. & ad tit. ff. de procur. n. 4. in med.* Inter maritum quoq; & uxorem actiones famosæ institui non possunt, matrimonio constante, per *l. rerum 1. cum seq. ff. de act. rev. amot. l. divortii C. eod.* Magistratus denique majores quam diu muneri istu præsumt, neq; agere neq; conveniri possunt, *l. pars 48 de judic.* Moribus nostris tamen, cum magistratus sint perpetui, in jus eosdem vocari posse, Dd. colligunt, ex *l. presidis 34. ff. de reb. cred. Rosbach d. l. tit. 10.*

LXVI. *Canone tandem omninò agere prohibentur Excommunicati c. omnis 32. caus. 11. qu. 3. c. si quis 7. caus. 23. q. 4. hi enim Satanæ traditi, ceu putrida membra omnitām juris quàm humanæ consuetudinis beneficio privandi, item Hæretici c. vergentis 10. de heret.*

LXVII. Jam ad officium Actoris nos convertimus, quod in eo consistit, ut prius quam ad agendum procedat, adversarium amicè admoneat, *l. quidam 13. ff. de Serv. P. U. l. Æmilius 38. ff. d. minor. c. novit. 13. X. de judic juxta illud Comici: Omnia prius verbis, quam jure experiri sapientem decet Incivile siquidem est hominem statim in jus rapere, cum res forsan amicā compellatione vel compositione obtineri possit, arg. l. 10. C. de pign.* Deinde diligenter factum ipsum perpendat ac diu attenteq; secum deliberet, num judicium ingredi sibi expediat, ob ancipitem judiciorum aleam, multas
Hinc

que & magnas molestias, l. 6. ff. de minor. l. 7. §. 1. de tribut. ad.
 Hinc rectè Cicer. 2. offic. Esse non modo liberale nonnun-
 quam de jure suo cedere, sed etiam fructuosum, cum sapè
 fiat, ut qui credant obtinere, frequentius succumbant. Et
 si obtineant, computatis laboribus & expensis nihil acqui-
 rant, Hillig. ad Don lib. 17. comm. c. 2. lit. C. Omnino ergo
 Actor, ne memoratas temeritatis suæ pœnas luat, de jure suo
 & fundamento intentionis certus sit, l. qui in alterius vers. pland
 & c. ff. de R. l. causamq; litigandi justam habeat, quam vulgò
 Dd. illum habere tradunt, qui duo consilia Clarissimorum
 Actorum pro se habeat, rectiùs tamen cum Treutl. d. d. th. 16.
 hoc judicis arbitrio committendum arbitramur, cum vix nul-
 la etiam absurda opinio, in tanta diversitate & copiâ scriben-
 tium careat assertore Bacchov. ad Tr. d. l. sic Domin. Arumæ-
 us 1. disc. 9. n. 22. non amplius locum esse illi vulgato in simili
 tradit: Duorum Dd. Juris consilia excusare ab expensis,
 cum etiam aliàs consiliis Dd. minus autoritatis tribuatur,
 eleganter Mynsing. c. 6. obs. 60. n. 2. & seqq.

LXVIII. Denique necesse habet, ut Reum eorum suo
 congruo & competente judice conveniat, cum regulariter
 Actor sequatur forum Rei, non è contra, l. quoniam C. ubi &
 apud quem l. fin. C. ubi in rem act. l. 2. C. de jurid. Sortitur au-
 tem forum tam propter personam suam, quam Res: Propter
 personam iterum vel ratione Domicilii, l. 2. de jurid. vel
 Contractus, l. heres 19. & seq. C. de judic. vel Delicti, l. 2. C.
 ubi de crim. agi oport. vel tandem Conditionis, l. f. C. de Jur.
 omn. jud. Percurremus strictim singulos hosce modos.

LIX. Primo autem posuimus, quod quis ratione domi-
 ciliii conveniri possit, per alleg. l. Est autem istud vel commune,
 ut Roma, l. 2. §. 4. & seq. l. 24. ff. de judi. hæc enim commu-
 nis patria salutatur, l. Roma 33. ff. admunic. Quod domi-
 ciliii forum, licet exolevisse cum Imperii formâ, ex
 quo

quo Roma sedes Pontificis reddita Dd. tradant, tamen & hodie in Curia & aula Imperiali eos qui Aquilam Roman. agnoscunt aut agnoscere debent, convenire posse si ibi versentur testantur, *Imol. & Burt. in c. s. de F. Comp.* nisi ex necessaria causa, ut jure revocandi domum uti possint, sicut legati, *l. 2. § legati ff. de judic.*

LXX. Vel Privatum, quod iterum duplex statui potest. Originis, quod & Naturale & Habitationis quod & Accidentale dicitur. Domicilium Originis vel Nativitas constituit, *l. 1. §. qui ex duobus 2. ff. ad munic.* Vel Adoptio, *l. 1. in pr. l. ordine 15. §. jus orig. 3. ff. ad Munic.* vel Manumissio domicilium originis tribuit *l. adsumtio 6. §. libert. l. filij libertor. 22. ff. ad municip.* Hujus domicilii originis effectus præcipuè, in munerum civilium honorumq; delatione ac injunctio, nō autem in foro sortiēdo vel jurisdictione subeundā conspicuus est, *Coler. de process. execut. p. 2. c. 1. n. 20. Hillig. Don. Enucl. lib. 17. lit. B. Meier in colleg. Argentor. ad lib. 5. ff. th. 206.* ideo de hoc nil attinet plura dicere, maximè si Germaniæ nostræ consuetudinem hodiernam attendamus, juxta quam civis originarius renunciāns civitati, vel domicilium aliò transferens civis originis esse desinit, non solum quo ad jurisdictionem, verum etiam quoad munera, *Gail. lib. 2. obs. 36. num. 7. Meier all. l. & quamvis Gail. d. obs. n. 11. addat, si originarius in loco originis deprehendatur, quod ibi nihilominus forum sortiatur, tamen Coler. all. loc. n. 21. de praxi hujus Gailianæ assertionis valdè dubitare scribit, imò disertè negat, ad c. olim X. de Except. n. 25. Meier d. l. th. 207.* Et sic apparet domicilii originis effectum per exiguum esse.

LXXI. Hoc ergo missum facientes progredimur ad Domicilium Habitationis, tanquam omnium præcipuum, ita ut appellatione Domicilii, domicil. habitationis præsumatur, *Matth. de Afflictis dec. 384. n. 7. describentes illud cum Donnell. locum, in quo quis habitat, eo animo ut ibi perpetuo consistat, nisi aliud avocet, l. cives 7. C. de incol. l. pupil. 239. §. 2. ff. de V. S.*

LXXII. Duo

LXXII. Duo itaque huic locum faciunt: 1. *Habitatio*, non sola domus aut ædium possessio, *l. 17. §. sola domus 13. ff. ad munic.* domus enim constitutio facti est, domicilii constitutio juris, *Math. Steph. 1. de jurid. 28. n. 31. & seqq.* contra ubi domicilium, ibi necesse est esse domum, *Cujac. obs. 33. in f. & 2. Animus consistendi*, ut sedem sibi fixam constituerit, *l. 17. §. sola 5. ff. ad munic. l. cives 7. C. de incol.* Hinc quid de Castellano, Mercatore, Legato & studioso dijudicandum sit ultrò pate- scit, hos scil. eo in loco non habere domicilium, quia illi & similia singuli, non ut ibi perpetuo consistant, sed ut nego- tiis expeditis domum se recipere velint, illic degunt, *arg. l. questum 78. in pr. ff. de legat. 3. l. nihil 26. ff. d. capt. & postl.*

LXXIII. Animus vero constituendi domicilii, constat vel ex *declaratione expressâ*, obeundo scilicet vitæ quotidianæ munia, *l. ejus 27. §. 1. ad munic. gl. in §. sed ista ibiq. Iason. de act. vel tacitâ*, cum ex conjecturis animus perpetuò alicubi com- morandi elicitur, de quibus vide *l. senatores 2. C. ubi senat. vel Clar. Alciat. in l. 239. §. incola ff. de V. S.* Ex his tamen & simili- bus præsumptiones quidem juris, non autem juris & de jure, quæ probationes vel contrariam præsumptionem fortio- rem non admittunt, extruuntur. Unde præsumptio fortior debi- lem destruit, ac probationem in contrarium admittit, *Coler. de proc. exec. p. 2. c. 1. n. 40.*

LXXIV. Constituto itaq; domicilio hujus effectus indu- bitatus est, quod licet alios plures iudices sortiatur Reus, ta- men forum domicilii habitationis, semper generale est & or- dinarium, ac concurrat cum quolibet alio foro sive contractus sive delicti &c. in tantum ut ex hoc capite, forum adire ob- stricti, regulariter subditi sint & dicantur, ex reliquis capiti- bus licet forum sortiatur, tamen subditi non sint, ut nota- ter habet *Panormit. in c. 1. in f. X. de F. C. & c.*

LXXV. Deinde conveniri reus preest, ubi contraxit, *l. 23. ff. de reb. auct. jud. l. 1. 2. §. 4. l. 19. §. 1. l. 20. omne l. 36. §. f. ff. etiam si domicilium ibi non habeat, d. l. 19. tacitè enim præsumitur, amplecti consuetudinem loci, in quo contractum celebrat,*

E l. ff



28
l. si fundus de evict. l. semper in stipulat. 34. ff. d. R. I. ibiq; voluisse
solvere & in iudicem consentisse, l. 45. argentar. §. 1. ff. de iudic.
Si tamen ibi tempore citationis, vel in principio iudicii in-
venitur, l. 19. l. 22. ff. de iudic. Coler. de proc. execut. p. 2. c. 1. n.
17. 18. Gail. lib. 2. obs. 36. n. 14. item si bona ibidem possideat,
Matth. Steph. lib. 1. de iurisd. c. 29. Excipiuntur hic Mercator,
Advena, Maritus in causa dotis, qui forū non coguntur in lo-
co ubi contraxerūt, subire d. l. 19 §. 2. de iudic. quia conditio ho-
rum & voluntas alia est, quod non velint eo in loco obligari,
Donell. lib. 17. comm. c. 14. per l. 65. ff. de iudic. similiter in le-
gatione constitutus, l. 8. de iud. l. eum §. 5. §. 1. de const. pec.

LXXVI. Ratione delicti quis forum sortitur in loco, ubi
crimen perpetravit quando ibidem deprehenditur, l. 1. & auth.
qua in prov. C. ubi de crim. agi oport. Clarus §. fin. qu. 35. & seqq. sive
ibi inceperit saltem sive consummaverit delictum, d. l. 1.
Hinc receptum est Jure nostro, ut rei criminum, etiam si non
sint in loco ubi deliquerunt, tamen desiderante magistratu
ejus loci, debeant amitti in eum locum judicandi, condem-
nandi & puniendi, l. 7. §. pen. ff. de accus. l. 7. solent ff. de custod.
& exhib. reor. Nov. 134. c. 5. Verum nostris moribus aliter ob-
servatur & remissiones istæ, quæ olim necessitatis fuere, ho-
die urbanitatis & arbitrii effectæ sunt, cum gratificare hac in-
re sibi invicem soleant Magistratus, jure amicitia & vicinita-
tis, sub antigrapho seu Reversalibus caveri postulantes, re-
missiones istas jurisdictioni ipsorum fraudi esse non debere,
sed precario factas, quodq; in casu simili ad idem gratifican-
di studium se obligent, Steph. l. 1. de iurisd. c. 30. Wesemb. in
π. ff. de iud. n. 16. Gail. lib. 1. d. P. P. c. 16. Quod communi to-
tius orbis Christiani usu & praxi receptum testatur, Covaruv.
in qu. pr. c. 11. n. 10. Videatur novissimè Besold. in thes. pract.
verb. Ueffierung der Maleficienten/ ubi addit, Remissiones has
frequentiores esse inter pares, aut minoris ad majorem, non
& contra. Und liefern die Fürsten nicht bald einem von Adel et-
nen Maleficienten.

LXVII. Pro

LXXVII. Propter conditionem variis modis quis sortiri forum dicitur. Ratione enim professionis seu negotiationis apud eundem iudicem, ad quem ejus professionis cura pertinet quis conveniendus est, *l. f. C. de jurid.* Sic studiosi non nisi coram Rectore conveniri debent, *Auth. habita C. ne fil. pro patr. ibiq; Hunn.* Sic Ecclesiasticae personae, non ad iudicium seculare trahendae, sed coram Iudice Ecclesiastico, propter privilegium clericis à D. Impm. concessum conveniendae sunt, *l. 25. l. 33. C. de Episc. & cler. c. cum sit generaliter, c. si diligenti 12. X. de For. Comp. c. 4. X. de judic.*

LXXVIII. Acerrima autem inter nos & Canonistas coetereosq; Pontificiae religioni addictos concertatio est; Utrum Clerici magistratus politici jurisdictione jure sint exempti? Nos, ut sententiam nostram liberè & levato, quod ajunt, velo exponamus, negativae firmiter cum Donello, *libr. 17. comm. c. 10. lit. X. ibiq; Hillig. Treutler. d. disput. th. 9. ibique Bachov. & Hunnio, & in tractat. de Autorit. juris (quamvis in eodem tr. anno proximo recuso dissentiat, & Pontificior. sententiam propugnet)* Arnisæo *in tr. peculiar. de subj. & exempt. clericor.* inhaerendum putamus; Hi vero uno ore omnes pro affirmativa tanquam pro aris & foris dimicant, in tantum ut pleriq; eò confidentia, ne dicam, impudentia processerint, ut Juri Divino hanc Exemptionem attribuere non sint veriti. Quibus tamen hic error eò facilius condonandus videtur, eo quod hujus opinionis q. choragum & praecentorem habeant ipsum Papam Bonifac. VIII. *in c. quanquam X. de censib. & exact.* quid mirum ergo, si ipsius effatum palpones & adulatores ejusdem turmatim sequantur inque tanti magistri sui verba tutò jurare non desinant. Absit enim & temerariam forte sit sanctissimum Patrem erroris cujusdam insimulare, velle, quippe qui vicem Dei in terris gerat, *c. 1. v. Porro ut Eccles. benefic. c. 2. & 3. de transl. Episc. Felin. in c. ego jurej. qui omnia supra, extra & contra jus, quae Deus potest, clave non*

E & errant

errante, possit, c. *preposuit de concess. prabend. ubi Abb.* qui ex causa jus divinum possit limitare & contra illud dispensare, cum factum Papæ censeatur factum à Deo. *Dec. in c. 1. in 3. not. de const. & vol. 3. consil. 341.* Quid multis? Papa Deus est, atque ideo ab hominibus judicari non debet, c. *satis evidenter 7. dist. 96. c. quanto 3. de transl. Episcop. vers. non enim.* Et quid non? Sed quis nostratum reperitur, qui cum istas immodicas laudes & portenta verborum audit, toto non corpore perhorrescat? quis testimoniis istis domesticis propter, l. 17. ff. *de testib.* fidem tribuat. *Credat Judæus Apella.*

LXXIX. Proinde ut propius rursus ad quæstionem principalem accedamus, stabilimus negativam nostram, fundamentis immotis è sacrâ scripturâ desumptis, Rom. 13. v. 1. & c. ubi universale Apostoli præceptum habetur, quod omnis anima potestatibus sublimioribus subdita esse debeat. Quod etiam reipsâ præstitit, quando appellans ad Cæsarem ab eo se judicari oportere dixit, *Act. 25.* in quo graviter peccasset, si Cæsarem pro legitimo iudice agnovisset, quia secundum Canonist. immaniter peccat, qui se potestati seculari subicit, c. *si diligenti X. de F. C. confer Matth. 20. v. 25. Luc. 22. v. 25. 1. Petr. 2.* Ex quibus omnibus liquidò patet, tantum abesse, ut Clerici jure divino sint potestate seculari exempti, ut eodem potius subjiciantur, nec contra hæc Juris Divini testimonia nullæ principum constitutiones, LL, privilegia, quicquam disponere, nulla consuetudo immemorialis, nulla præscriptio centum vel mille annorum quicquam operari potest, ipsis etiam Pontificiis non diffidentibus, *dist. 10. c. 1. & seqq. dist. 11. c. Ecclesiast. 5. confer Hunn. in resol. ad Treutl. pract. l.* Accedit his sana ratio, quæ suadet singula officia singulis committenda, c. 1. *dist. 89. c. cum singula de prabend. in 6. l. nemo C. de assess. jam vero diversa Dei dona sunt Sacerdotium & Imperium ut Justinian. noster, in pr. Nov. 6. inquit jung. supr. th. 17.* imò opprobriosum esset clericis peritos se velle ostendere disceptationum forensium, *arg. l. placet 17. l. repetita 41. verb. absurd. C. de Episc. & cler. c. cum ad veram dist. 96.* quemadmodum enim miles

les prohibetur se ingerere in causas civiles, *l. militares C. de re mil.* ita multo probabiliore ratione miles spiritualis ab iisdem abstinere debet, *arg. c. reprehensio 23. q. 8.* non tantum ne jurisdictiones confundantur, *supra th. 17.* sed etiam ne alterutrum officiorum negligentius obeatur. Duobus enim dominis servire impossibile, & causæ seculares longè discrepant à divinis, *dist. 3. de consecr.* Quocirca prudenter fecit Philippus Valensius, cum omnes Prælatos & Episcopos à Parliamentis arcuit; *se enim dixit, non posse bonâ conscientia Pastores animarum curant gerentes avocare à tam ardua cogitatione, referente Cluten. in syllog. th. 5. in f.* Ut tacito jam siccoq; , quod ajunt pede cætera rationum momenta & Ecclesiæ primitivæ exempla, de quibus vel in ipso velitationis actu, prætereamus.

LXXX. Concludimus tandem hanc clericorum Exemptionem, Jure Divino non esse fundatam nec inductam (nam hujus vanitatis & impudentiæ etiam saniores & paulo eminentioris naris Pontificios nobiscum dispuet, ut videre est ex Covarruv, *l. i. var. res. c. 17. n. 20. & pract. qu. c. 31. n. 2.* Maynard. *4. decis. 100.* Duar. *de judic. c. de F. C. plures allegat, Reinsingl d. tr. lib. 1. cl. 2. cap 5. sub fin.*) sed accepto ferendam esse juri humano positivo, partim enim illam beneficio & facilitate principum Christianorum, partim ambitu proprio pontificum, ad augendam sc. suam potentiam & contra extenuandos & opprimendos laicos consecuti sunt, Bacchov. *in not. & animad. ad Tr. d. l. Rittersh. in tr. de diff. j. civ. & Can. lib. 5. c. 4.* Arniszus *d. tr. c. 3* qui pleno stylo qu. hanc persecutus est.

LXXXI. Porro quæritur an Clericus cum alio contrahens possit huic privilegio suo renunciare, sic ut renunciatione non obstante, possit fori præscriptione uti? Ubi notanda differentia jur. civilis & Canon. Illo, indubium est validum esse ejusmodi pactū & renuntiat, per *l. si quis in conscribendo C. de Episc. & cl. & l. pen. C. pact.* Hoc vero, contra optimam jur. civilis dispositionem jus plane novum introductum. Nam Innocent. III. *in c. si diligenti 12. X. de F. C.* renunciationem hanc in tantum nullam judicat, ut etiamsi juramento confir-

E 3

mata



8
mata sit, tamen non subsistat. Quod si rationem quâ Pontifex ibidem utitur, puta, quod pactio privatorum juri publ. derogare nequeat, pressius intueri volumus, sanè cum Cujacio inficias ire non possumus, eam impertinentem & fucum coloremq; potius quam rationem veram esse. Et memorabilis est iterum Cujacii scriptoris Pontificii *rapportia*, tanto Jcto haud indigna, dum in Recit. Decret. ad d. 6. 12. inquit. Qui hoc casu pacti conventi & jurisjur. fidem frangere permittit, certe is longè magis aberrat à Jur. publ. bonisque moribus, quam qui eam tueri & servari oportere contendit, similia habet Rittersh. *practit. l. De moribus nostris* si quæras quid sic hac in parte receptum, respondet ibid. Rittersh. Clericos in locis reformatæ religionis etiam coram judice laico conveniri solere.

LXXXII. Vidimus hucusq; quomodo Reus propter suam personam aliquot modis forum sortiatur, quapropter disquirendum restat, conjung. *sup. rh. 63.* quomodo idem conveniendus ratione Rerum seu causarum. In quibus primò spectari debet. Locus ubi res litigiosa sita est, *tot. tit. C. ubi in rem act. exerc. deb. c. 3. Extrav. de for. comp. nec distinguitur hic inter personas Ecclesiasticas & Laicas, Gail. r. obs. 37. num. 4. Myns. 1. obs. 22.* major enim respectus habetur ad rem, quam ad personam, *l. 7. ff. de publici. judexq; loci rei sitæ jurisdictionem habeat supra rem, non supra personam, cum aliud sit forum sortiri, aliud subditum esse, Gail. de pignorat. obs. 15. n. 3.*

LXXXIII. Deinde attendenda rei in judicium deductæ qualitas. Causæ enim civiles sicut coram civili, *c. licet 10. X. de F. C.* ita Ecclesiasticæ non nisi coram Ecclesiast. judice agitari solent, *c. eodem 16.* Feudales ad Dominum, si inter vassallos, ad pares Curia verò, si inter Dominum & Vassallum, *lis sit, c. unic. inf. de prohib. feud. alien. per Frid.* In causis Fiscalibus Procurator Cæsaris judicat, *l. 1. l. 2. & passim r. t. C. ubi caus. fisc.*

LXXXIV. Tandem in rebus ipsa quoq; causæ contingencia spectanda est, propter hanc enim quis forum sortitur competens,

petens, quod alias esset incompetens, licet enim regulariter
forum rei sequi debeat Actor, *jurib. vulgat.* fallit tamen hoc,
quando plures sunt rei ejusdem causæ & quando ad eundem
finem agitur, tales enim Rei omnes, qui sunt diversis Juris-
dictionibus subjecti, bene possunt per eandem & indivisibi-
lem causam coram uno eodemq; iudice conveniri, *l. 1. & 2. ff.*
de quib. reb. ad eund. jud. ne causæ connexitas dividatur, *l. nullâ*
10. C. de judic. & frustra fit per plura, quod per pauciora fieri
potest, *l. 1. ff. quod met. caus.* *Wesembec. in π. quib. reb. ad eund.*
jud. Myns. obs. 4. cent. 1.

LXXXV. Altera principalis litigantium persona Reus
est, à re quæ ab eo petitur dictus, *c. forus 10. verb. Reus X. de verb.*
sig. estq; is, qui in iudicio convenitur, l. cum 3. ff. de probat.
sive lite pulsatur, *l. frustra 8. C. eod.* qui cogitur iudicium pati
vel suscipere, *l. 24. §. 1. & fin. de judic.* Vocatur is in iure nostro
pars fugiens, *l. properandum 13. §. & si quid 2. cum seq. C. de judic.*
adversarius, *l. 3. de recept. arbit. l. 22. ff. de comp.* Germanicè *Beo*
flager/Answerter. In Criminalibus verò dicitur, *Peinlich Beo*
flager/Answerter.

LXXXVI. Rei constitui possunt regulariter omnes, qui
non excipiuntur: Nonnulli verò *Naturâ*, nonnulli *Lege* exci-
piuntur. *Naturâ* Infans, Pupillus Furiosus, Mente captus, Mu-
tus, Surdus perpetuò tales, *l. 1. §. sufficit 2. & l. seq. ff. de admin. &*
per tut. l. 1. & seq. C. qui legit. person. stand. arg. tit. inst. de curat.

LXXXVII. *Lege* excipiuntur alii quidem simpliciter, alii
certo modo. *Simpliciter*, ut Servus, *l. servus 6. & seq. C. de judic. l.*
licet 3. §. si servus 8. ff. de pecul. qui licet passus sit secum agi, nulla
tamen inde iudicati actio, nec dominus obligatur de peculio,
Don. 17. comm. c. 15. item Minor, *arg. l. clarum 8. C. de autor. prest.*
l. cum & minor 4. C. si adv. rem jud. l. minor. 51. ff. de procur. cui in
foro Saxon. æquiparatur mulier, quæ legitimam personam
standi in iudicio non habet, sed semper mariti tanquam cu-
ratoris cõjugalis, vel alterius curatoris, particulariter ad hoc
constituti consensum & autoritatẽ adhibere tenetur, *per text.*
Landrecht. lib. 1. art. 44. in pr. & art. 46. in pr. eod. junct. ibid. gl.
ordin.

ordin. n. 2. Landr. lib. 2. art. 63. gl. ordin. in Landr. lib. 3. art. 30. n. 4. Wefemb. in π. de procur. n. 4. & t. de tut. n. 5. tit. de cur. fur. & c. n. 4. Idq; procedit siue Actrix siue Rea sit, vigore, Nov. Elect. Aug. p. 2. const. 15 sub f. pr. & ordin. judic. Sereniss. Electoris Sax. Iohan. Georgii tit. 8 in pr. vers. sic halten gleich & c. adeo ut si mulier curatorem ad litem non habeat, ad officium judicis pertineat, ut ipsi tam ad agendum, quam ad defendendum, etiam partibus non petentibus cur. constituat, d. constit. 15. S. Derowegen & d. t. 8. S. do sie aber/ Dn. D. Schulz in syn. judic. th. 19.

LXXXVIII. Certo modo & secundum quid prohibentur Filiifamilias, quod ad peculium [profecitium & adventitium, cujus ususfr. ad patrem pertinet, l. fin. C. de bon. lib. quâ tamen de re quid hodie obtineat indicavimus th. 65. Absentes, l. hos accusare 12. ff. de accus. Ægrotantes, l. quorum 60. ff. de re jud. c. querelam 2. X. de procur. Legati, l. consensisse 2. S. legatio 3. & seq. ff. de judic. Clerici in judicio seculari, de quibus plus satis in præced. ne totiens eandem tundamus in eadem. Item Magistratus quamdiu in Imperio & officio sunt, l. 48. de jud. conjung. th. 66. Hodie princeps Imperii coram judicibus Austregarum vel in Camer. Imperiali vel suis Consiliariis seu Judice Curie Hoffgericht (quibus interea jusjurandam solet remitti, quo Dominis suis sint obstricti ut tanto liberius judicent Rittersh. ad Nov. p. 9. c. 6. n. 82.) prout consuetudine receptum est conveniri potest, Ordinat. Camer. p. 2. c. 2. & seq. ibiq; Magenhorst p. mihi 114. & seq. Myns. c. 5. obs. 1. & obs. 8. n. 12. Sic Serenissim. Saxon. Septemvir, coram supremâ Electorali curiâ Lipsiensi de bonis & redditibus ararii siue Camerae, conveniri potest, Cluten. in syllog. judic. th. 16. Præterea Elector Palatinus hoc jus ex vetustis imperii moribus & A. B. confirmatione habet, ut ipse Imperator vel Rex Rom. super causis, pro quibus impetratus fuerit, coram ipso (quo ergo jure, quave injuriâ Papa Romanus tam audacter hoc sibi arroget, non videmus, in c. Apostol. 2. de sent. & re jud. in 6. Clem. Rom. de jurej. c. venerabil. 34. de Elect.) conveniri possit, ita tamen
ut

489

niri possit, ita tamen, ut non in Palatinatu, sed in ipsius Imperatoris curia, vel alio loco ubi præsens sit, iudicium instituat & de causa cognoscatur, Buxtorff. in dissert. ad A. B. concl. 77. confer concl. 81. ubi disquirat in quibus causis hoc obtineat, cum text. A. B. indefinite loquatur.

X C. Non autem est, quod propterea Bodinus, imperitus rerum Germanicarum æstimator, uti cum vocat Paurmeisterus, gloriatur Imperatorem nostrum non habere maiestatem, quia alterius iudicio sit subiectus, lib. 2. de Republ. c. 6. Negamus enim consequentiam. Convenitur quippe Cæsar coram Comite Palatino, non quasi esset vasallus ejusdem, adeoque non ut coram æquali vel superiore tanquam magistratu, sed ut coram inferiori, qui iudicium tantum in causa proposita exercet. Ipse igitur Imperator deposita sive suspensa quodammodo Maiestate de sua causa Palat. Electorem iudicare jubet, Arumæus disc. 3. jur. pub. Matth. Stephan. disc. 6. concl. 6. vol. 1. jur. pub. Reinsingf tr. de R. S. & E. lib. 1. cl. 2. c. 1. n. 212. Idque jure civili receptum, eoque utimur, ut si quis major vel æqualis subiciat se jurisdictioni alterius, possit ei & adversus eum jus dici, l. 14. ff. de jurid.

X C. Tantum igitur abest, ut per laudabilem istum morem Maiestatem Imperatoris imminui dicamus, ut potius eundem felicitatem Imperii promovere asseramus, l. 8. C. de LL. cum tam naturali æquitati, quam civili honestati, aliorumque regnorum moribus concinne congruat, Buxtorff. d. dissert. inaugural. concl. 80. Nam ut non longe exempla petamus & proprio velut gladio Bodinum nostrum jugulemus, Nonne Reges Galliarum iudicium Parlamenti Parisiensis subeunt, quorum tantam auctoritatem esse scribit Dn. D. Carpzov. tr. de capitul. Cæsar. c. 1. ut decretis ejusdem adquietescere cogatur, inque controversiis non raro causa cadat, neque adversariis suis, quibus cum litigat, præjudicare possit, quis tamen vel ipso Bodino iudice, inde concluderet Parlamentum Rege superius esse? Auctoritas quippe Curiarum non absorbet Maiestatem Principis, ut idem Bodinus l. de Republ. cap. 8 testatur.

F

Sic

287
Sic Rex Hispaniæ, quamvis potentissimus, ut cujus Imperium decuplo majus quam Turcarum Imperatoris, Bodin. de Republ. lib. 2. c. 2. & cujus terram aliquam, quocunq; se die nocteq; sol vertit, semper collustrat, Petr. Matth. in hist. Henr. IV. lib. 1. narr. 4. in conventibus tamen triennialibus jus dicunt, & jus sibi dici patiuntur, Steph. Jun. Brut. adv. tyrann. in repet. ad qu. V. Sic Archiduces Austriæ, cum sint immunes à Jurisdictione Imperiali, in controversiâ aliquâ, è suis vasallis judicem constituunt, coram quo conveniantur & jus accipiant Cuspin. in Austria. Münster. lib. 3. νομοθεσιον. Sic Rex Bohemiæ ratione Silesiæ judicium Uratislaviense subit, Schrad. de feud. p. 10. sect. 1. & ratione Ducatus Glogoviensis coram Paribus curiæ Glogoviensis, Beust. in l. admonendi n. 194. ff. de jurejur. Ergone statim inferendum hos omnes inferiores esse iis, à quibus sibi jus dici permittunt? Cæteras Andii. sine bono (sicut Cujac. 18. obs. 38. per ἀναρχαυματισμὸν haud inconcinnè ipsum vocat) rationes cum propriè non sint hujus loci, ideo intactas relinquimus, solidè tamen & prolixè eas refutatum ivit, Reinfingf d. l. 2. d. 2. c. 2. per totum. Sed manum de tabula.

XCI. Officium Rei est, ut acceptâ copia libelli, accuratè secum deliberet utrum lite cedere aut contendere velit, l. 1. ff. de edend. in hunc enim finem concessæ ipsi induciæ de Jur. quidem Civil. XX. dierum, intra quas se in causa informare potest, Auth. offerat. C. de lit. contest. Nov. 53. c. illud 3. Jure Canon. tempus hoc arbitrarium est secundum C.C. communiter, per c. quoad consultationem 15. X. de sent. & re jud. Quod usu forensi & in supremo Cam. Imperial. Judicio attestante Gailio observatur. Postmodum si bonam se fovere causam existimet, de quo jurare etiam tenetur principio litis, S. 1. Inst. de pæn. rem. litig. l. 2. C. de jurej. propt. cal. communicatoq; prius cum Jurisperitis consilio, litigare velit, exceptiones si quas habet legitime opponat, dilatorias quidem regulariter ante litem contestatam, l. 8. & seq. fin. C. de Exc. Peremptorias verò regulariter post litem contestatam, d. l. 9. C. hic Mynf.

Mynf. 1. obs. 24. usque ad sententiam, l. 2. C. sent. resc. non poss.
Gail. lib. 4. obs. 9. n. 9.

490

XCII. Onus probandi, quod attinet, Reo non incumbit
(nisi forte in Exceptione aliqua se fundet, l. exceptio 19. C. de
probac.) sed Actori, l. actor. 23. C. de prob. l. ei incumbit, 2. l. eum
qui 12. ff. eod. adeò ut eo non probante Reus, etsi nil præstite-
rit, absolvatur, §. retinend. 4. Inst. de interd. propter summum
favorem, quo jura nostra, Reos prosequuntur, l. favorab. 125.
ff. de R. I. quæ regul. tamen procedit in iis quæ spectant ad cau-
sæ decisionem, non autem in præparatoriis judiciis ut sa-
tisfactione libelli oblatione, in quibus magis favetur Actori
quam Reo, Bronchorst aliiq; Dd. ad d. reg. 125. ff. de R. I.

XCIII. Personarum in judicio versantium duas q. clas-
ses constituimus super th. 24. quarum alteras Principales, alte-
ras minus Principales sive Accessorias indigitavimus. De
istis abundè in præcedentibus dixisse, sicq; muneri nostro sa-
tisfecisse videmur, jam ergo nos decet, ut & ad has perlu-
strandas nos accingamus.

XCIV. Personæ vero istæ accessoriæ respiciunt, vel
Judicem vel Litigantes. Ad Judicem accedunt quædam con-
sultandi causa, ut Assessores: quædam verò judicii instru-
endi causa, ut Actuarii, Apparitores, Viatores, Executores. Li-
tigantibus accedunt Advocati & Procuratores. In harum
personarum definitiones & officia longius pro meritò hic in-
quirere, ratio instituti nostri vix patietur, cum enim hæc ipsa
latius se diffundant, quam ut brevi dissertatione complecti
possint, digitum eo intendisse sufficiat, maximè cum in per-
sonarum principalium descriptionibus & officiis tradendis
præter expectationem, dum labor sub manu crevit, aliquan-
tò longius nos detinuerimus, quocirca cum nobis non liceat
esse copiosis, erimus eò breviores, tam hic quam residuis sup-
th. 23. nobismet propositis explicandis capitibus.

XCIV. Personas ergo sequitur Quæstio altera judicii
pars, l. 3. 4. 10. C. de judic. quæ est res controversa coram ju-
dice ejus dirimendæ causa exposita Arnold. de Nenger disp. 1.

Ad proc. Estq; duplex *Facti* nimirum vel *Juris*. *Facti* quaestio est, cum de *facto*, de quo non constat, quaeritur, qua semper est in arbitrio *judicis*, *l. 1. §. quorum alterum ff. ad Sctum Tarpill. l. eum quem 79. §. judicabit 1. ff. de judic.* *Reyger d. l.* *Quaestio Juris* est, cum de *jure* quaeritur, quodnam ex *facto* in praesenti casu debeatur, *l. 1. §. quorum alterum vers. nam ut Papin. ff. ad Sctum Tarpill. Vult. lib. 2. Jur. Rom. c. 3. Reyger d. disp. th. 73. Rosbach in proc. judic. tit. 1. n. 50.* quam *juris ad facti* accommodationem praestare *judicis* est, *l. 32. ff. de Usur. cujus tanta est difficultas, ut prudentissimos etiam hallicunari contingat, nedum socordes & defensorie, quod officii est, curantes scribit, Amplis. & Consultis. Dn. D. Justus Zinzerling, Judic. Megapolitani Provincial. Assessor, quondam Rostochij hospes & fautor meus pl. observandus, disp. Inaugural. de Appellat th. 2. in vol. 1. Disp. Basiliens. Inaugural.*

XCVI. Nunc ad *Formam* *judicii* (qua non in *Actoris* vel *Rei* vel *Judicis* arbitrio, sed certa est *jure* constituta, *l. 4. C. de sent. & interd. Donell. 23. comm. c. 1.*) nostram extendimus *curam*. Est autem *forma* *ordo* & *solennitas* seu *processus* *judicii* & consistit partim in *cognitionum* de *causis* *ordine*; si scilicet plures in unum *judicium* *quaestiones* simul incidunt, (qua enim tunc prius decidi debeant exponit, *Treutl. disp. 12. de judic. th. 13. per tot. ibiq; Hunnius & Bacchovius.*) partim consistit in *solennitate*, *actibus* & *partibus* *processus*, horum enim *ordo* *praecise* servandus est, *l. prolatam 4. ubi gl. & Dd. C. de sent. & interloc. omn. jud.*

XCVII. Totum autem *judiciarii* *ordinis* *processum* *hodiernum* *summatim* ita complectuntur *Dd.* imprimisque *praxeos* *commentatores*: *Actor* ante omnia adit *Judicem*, *competentem*, & pro *citatione* ac *processu* *impetrando* *supplicat*, ad *cujus* *postulationem* *Judex*, si patet *jus* *agentis* *bonum* esse, *citationem* *decernit*. *Processibus* ita *impetratis* & *peracta* *citatione*, *actor* *libellum* *suum*, *summam* *causae* & *petitionis* *complectentem* in *termino* *citationis*, si quidem *pro-*

processus illi per libellum supplicem petiti sunt, offert; si
 verò libellus actionis jam ante ad effectum impetrandorum
 processum oblatus sit, ille in termino isto reproducitur, ejus-
 damq; copia citato, aut ejus procuratori, nisi una cum cita-
 tione à judice transmissus sit datur, auth. offeratur & ibi Dd.
C. de lit. cont. De hinc Reo induciæ conceduntur, quibus ef-
 fluxis si contendendum ratus fuit, exceptiones fori declina-
 torias & dilatorias tam contra Jud. quàm Actor. opponat.
 Si verò easdem non habeat, reconventionem sibi competen-
 tem movere, & ita urgentem vicissim eodem judicio urgere
 potest: Quod si nec illam salvam habeat actori ad petitionem
 ejus affirmando vel negando respondere tenetur, quæ re-
 sponsio dicitur Litis contestatio, interea satisfactiones à par-
 tibus de judicio sisti & judicatum solvi, itemq; à Procurato-
 ribus de rato & similibus præstantur.

XCVIII. Lite jam contestatâ juramentum calumniæ
 præstatur, fiunt positionales. ad quas respondere oportet ad-
 versam partem. Pervenitur ad probationes, exhibentur
 articuli probatorii, contra interrogatoria à reo contra quem
 articuli & testes diriguntur, producuntur & nominantur te-
 stes, qui antequam deponant examinantur & postea eorum
 attestations publicantur, quo facto contra eorum personas
 & dicta itemq; instrumenta excipitur, replicatur &c. donec
 omnibus allegationibus propositis cognitisque; iis quæ in facto
 consistunt utrinq; causa conclusa judicibusq; commissa sen-
 tentia definiatur, quam judex legitimo tempore exequen-
 dam curat, nisi fuerit appellatum.

XCIX. Ex hac quali quali delineatione luculenter ap-
 paret, in pluribus longè aliam nobis instituendi & peragendi
 judicii rationem esse, quam quæ Roman. priscis, imò & quæ
 tempore Justiniani fuit, vid. Vult. 1. disc. 1. & 2. I. R. 27. cujus
 ordinis brevem descriptionem habet, Vulteijs lib. 2. I. R. cap. 26.
 exactiorem descriptionem Pollet. lib. 5. histor. fori Roman.
 Qui lib. 4. cap. 11. p. 371, scribit, quod melius ageretur cum

Legibus, si veterum consuetudinem retinerem, à quo discedere non videntur, Oldendorp. *tr. de jur. & equit. & post eum, Besold. in oper. polit. diss. 2. de prem. pæn. & ll. c. 8. concl. 10.* quorum verba quin referamus vix temperare nobis possumus, ita ergo hic: Forma judiciorum & judiciarius ordo, quo in quibusdam utimur locis, neq; videtur ordo, neq; processus, sed magis confusio & labyrinthus, non procedimus sed erramus. Calumniosa est cerimoniarum atq; scriptorum altercatio, extra omnem causæ cognitionem. Hinc Formularii, arcana qui tractant processus & Cautelista magis sunt in pretio, quam æquitatis artifices. Imò fatalia instantiarum consuetudine, jam abolita sunt pessimâ. Quæ Besoldi verba refert, Adamus Contzen Jesuit. *Moguntin. lib. 5. polit. c. f. & principibus perpendenda scribit, confer Petr. Frider. Mindan. epist. dedic. tract. de proc. extrah.* ubi dicit, quod lites nunc integras litigantium ætates excedant, cum etiam de formalib. appellationum super solo devolutionis puncto & similib. integrum, sæpè vel decennium, vicennium vel tricennium disputetur, parilia habet Speckhan. *cent. 3. cl. 3. qu. 21.* ubi de præcipuis & communib. judiciorum vitiis corruptelis & abusibus, eorumq; emendatione & correctione agit, idem facit P. Frider. Mind. *d. l.*

C. Hæc sunt pauca illa è multis, quæ de amplissima hac Judiciorum materiâ, secuti &, nunc etiam, propitio Deo, ex secuti seriem sive ductum partitionis sup. th. 23, à nobis traditæ, heic profudisse impræsentiarum voluimus, quæ tamen exigua licet pro ratione instituti disputatorii sufficere arbitramur, omnes enim Dd. prolixos commentarios excutere & ad præsentem materiam adaptare velle, nec temporis nec chartæ angustia, nec animi lubentia permittit, imò nec debet; proinde fusiora eaque limatiora rudimentis hisce præoptantem, partim ad Dd. in præced. th. allegatos, quorum auxiliariis copiis usos nos esse haud diffitemur, partim ad ceteros illos, qui ingenii sui monumentis hanc ipsam materiam illustrarunt eisdemq; novum ut dici solet, lumen intulerunt, remittit

remittimus. Faxit DEUS Opt. Max. ut sublatis omni-
bus dissensionibus ac litibus pax & mutua concordia inter
omnes coalescat & floreat, nosq; tandem ex hac litium mate-
ria, vitaq; contentionum in perfectissimam illam, bea-
tissimam & aeternam gloriosè de-
ducamur.

492

Durus de Pascolo in Aul. Politico
axiom. 360.

Feci, quod potui. Potui, quod CHRISTE de-
disti

Improba fac meliùs, si potes, invidia.



AVCTA

Auctaria.

I.

Legitimos per subsequens matrimonium in feudis succedere, theoricâ Jur. Feud. communis veritate inspectâ, nobis asseverare religio est.

II.

Raptorem mitiùs de jure civili puniri, quàm furem manifestum defendere tentabim.

III.

Legatum pauperibus relictum, in unum pauperem conferri debere negamus.

IV.

Legata annua, sub initium anni præstari non debent.

V.

Non est novum, ut, qui dominium non habeat, alii dominium præbere possit.

VI.

Cummodatarius tenetur præstare culpam levissimam.

VII.

Imò casum fortuitum, si præcesserit mora aut culpa.

F I N I S.

ULB Halle

3


004 961 196



W177







Disputatio Juridica

De

JUDICIIS IN GENERE,

Quam

Deo Trinuno Assistente,

Consentiente Magnifico atq. Amplissimo, in celeberrimâ ad
Albim Academiâ, Jctorum ordine,

SUB PRÆSIDIO,

Amplissimi, Consultiss. & Excellentissimi

VIRI

DN. HENNINGI Grossen/ J.U.D.

& Prof. Publ. Curia Electoralis & Facultatis Juridicae Wit-
tebergensis meritissimi, Dn. Praeceptoris, Fautoris ac
Promotoris sui, debitâ animi observantia

ætatem colendi,


Publico examini subjicit,

LUDOLPHUS Evers Hildesheimensis.

Ad diem Junij in Auditorio Jctorum

Ammianus libr. 30.

Judicia cum rectè procedunt delubra sunt æquitatis;
cum depravantur, foveæ fallaces.



WITTEBERGÆ,

Typis GEORGII MÜLLERI.

ANNO clc lcc XXXI.

469

24

1831 6

